BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
43
9 B
8

INSTITUTIONUM
PHILOSOPHICARUM
TOMUS ALTER

QUI COMPLECTITUR

PSYCHOLOGIAM, THEOLOGIAM, ET ETHICAE ELEMENTA

AD USUM

SEMINARII NEAPOLITANI.



NEAPOLI MDCCLXXXII.

Ex Officina AMATI CONSI.
Proſtant apud MICHAELEM STASIUM.

UTRIUSQUE POTESTATIS PERMISSU.

CONSPECTUS

EORUM, QUAE HOC II. TOMO

CONTINENTUR.

METAPHYSICAE PARS II.

PSYCHOLOGIA Pag. 1.

CAPUT I.

De Humanae Mentis natura. 3
PROPOSITIO I. *Quod in nobis cogitat, non eſt Corpus ipſum.* 17
PROPOSITIO II. *Mens humana eſt Subſtantia a corpore diverſa.* 24
In expoſita Syſtemata animadverſiones. 29
Objectiones diluuntur. 38

CAPUT II.

De Humanae Mentis Immortalitate. 59
PROPOSITIO I. *Humana Mens corruptioni non eſt obnoxia.* 64
PROPOSITIO II. *Humana Mens a corpore ſejuncta vivit, & cogitat.* 65
PROPOSITIO III. *Humana Mens nunquam emorietur.* 70

CAPUT III.

De Mentis Eſſentia. 84

Propositio I. *Mentis humanae Eſſentia Metaphyſica in Senſu ſui ipſius collocanda videtur.* 86

Propositio II. *Mens quamdiu vivit perenni cogitatione praedita eſt.* 92

Propositio III. *Eſſentia Phyſica Mentis in proprietatum, quarum ipſa ſibi conſcia eſt, collectione ſtatui poteſt.* 97

CAPUT IV.

De Idearum natura & origine. 103

§. I. *De Idearum natura.* 104

§. II. *De Idearum origine.* 106

Propositio I. *Mens inſita vi rerum ideas procudit.* 111

Propositio II. *Ideae innatae, quo ſenſu a Carteſianis ſtatuuntur, nullae dantur.* 117

Propositio III. *Univerſas ideas e Senſu tum intimo, tum extimo Reflexionis opera Mens cudit.* 122

CAPUT V.

De Mentis humanae Voluntate & Libertate. 137

Propositio. *Humana Mens in ſuis volitionibus & nolitionibus libera eſt.* 148

CAPUT VI.

De Mentis & Corporis Conjunctione. 160
§. I. *De Vinculo Conjunctionis Mentis cum Corpore.* 162
PROPOSITIO. *Vinculum, quo Mens cum Corpore conſociatur, cum potiſſimum Senſus eſt, tum etiam Appetitus, quo illa ad Corpus tendit.* 168
§. II. *De Legibus Conjunctionis.* 176
§. III. *De Senſationibus.* 180
§. IV. *De Mentis in Corpore Sede.* 197

CAPUT VII.

De Imaginatione & Memoria. 201

METAPHYSICAE PARS III.

THEOLOGIA. 206

CAPUT I.

Confutatur Atheiſmus. 207
PROPOSITIO I. *Materia ab aeterno exſtitiſſe nequit.* 211
PROPOSITIO II. *Motus non eſt Materiae eſſentialis.* 213
PROPOSITIO III. *Quamvis materia ab aeterno eſſentiali motu praedita exſtitiſſe ſtatuatur; fieri tamen nequit, ut inde Mundus prodierit.* 216
PROPOSITIO IV. *Materiae repugnat Hylozoitarum vita: neque ex ea Senſus atque Intelligentia oriri poteſt.* 219

PRO-

Propositio V. *Dei exſiſtentia demonſtratur.* 220
Argumenta Metaphyſica. 221
Argumenta Phyſica. 224
Argumenta Moralia. 229

CAPUT II.

Confutatur Pantheiſmus. 246
Propositio. *Spinozae Syſtema ambiguae Subſtantiae notioni innixum claudicat, pugnantia ſecum componit, & pluribus abſurdis ſcatet.* 251

CAPUT III.

Confutatur Polytheiſmus. 258
Propositio. *Deus unus eſt.* 263

CAPUT IV.

De Divinis Attributis. 267
§. I. *De Dei Simplicitate.* 268
Propositio I. *Deus non eſt corporeus; Phyſicae nimirum & Mathematicae compoſitionis expers eſt.* ibid.
Propositio II. *Deo repugnat compoſitio Metaphyſica ex eſſentia & exſiſtentia.* 269
Propositio III. *Deo repugnat compoſitio Logica ex genere & differentia.* 270
§. II. *De Dei Immutabilitate.* 271
Propositio. *Deus eſt immutabilis.* ibid.
§. III. *De Infinitate & Immenſitate Dei.* 273

Propositio I. *Deus eſt infinitus ſecundum eſſentiam.* ibid.
Propositio II. *Deus eſt abſolute perfectus.* 274
Propositio III. *Deus certo ſpatio minime definitur, ſed ubique ſubſtantia praeſens eſt.* ibid.
§. IV. *De Divina Scientia.* 275
§. V. *De Creatione & Providentia.* 279
Sectio I. *De Creatione.* ibid.
Propositio. *Mundum ex nihilo Deus produxit.* 280
Sectio II. *De Providentia.* 286
Propositio I. *Deus providentia ſua res a ſe procreatas gubernat.* 291
Propositio II. *Revelata Religione homines indigebant.* 299

ETHICAE ELEMENTA.

Anteloquium. 308

C A P U T I.

De Affectuum Humanorum Origine. 309

C A P U T II.

De Obligationis origine. 313

C A P U T III.

De Juris Naturalis Principio. 320

CA-

CAPUT IV.

De Hominis Officiis. 326
§. I. *De Hominis erga Deum Officiis.* 330
§. II. *De Hominis erga ſeipſum Officiis.* 331
§. III. *De Hominis erga alios Officiis.* 334

CAPUT V.

De Statu Hominis ſociali 337
§. I. *De Societate Conjugali.* 338
§. II. *De Societate Paterna.* ibid.
§. III. *De Societate Herili.* 340
§. IV. *De Familiis.* 341
§. V. *De Societate Civili.* 341

ME-

METAPHYSICAE

PARS II.

PSYCHOLOGIA.

INTER aſpectabilem rerum univerſitatem principem locum obtinet Homo, quem propterea parvum veluti mundum, regemque naturae vetus Sapientia ſuſpexit. Si quod igitur naturae contemplandae ſtudium nos tenet, illuc primum oculos convertamus oportet, quo conditionis humanae prae ceteris quibuſcunque rebus praeſtantia nos vocat. Vocat autem? imo etiam impellit. Nimirum & noſtra valde intereſt, & publicae Societatis ſplendori ac tranquillitati plurimum conducit, & Religionis demum ſtabilitati quammaxime velificatur, ut ſe ipſe homo cognoſcat perſpectumque habeat.

1. Neque enim aliquid optabilius aut utilius eſſe poteſt, quam ut beati vivamus. Atqui niſi princeps illa & nobilior noſtri pars, qua ſola no-

nobis licet eſſe beatos, comperta ſit; vivere beate nequimus: latente enim illa, lateat etiam neceſſe eſt, & quae ſit totius hominis cultura ac perfectio, & quae inde oritur illius felicitas. Suae igitur utilitati homo proſpiciet, ſi se ipſe ſibi ad intuendum proponat.

2. Jam porro ſi ſenſuum fallaciis, imaginationiſque praeſtigiis deceptus homo totum ſenſibilem se ſibi fingat, propriae ignarus conditionis, ab ea, quam inſitam praeſefert nobilitatem, temere degenerat. Univerſa enim inter anguſtos animalis vitae limites concludens propriae utilitati omnia defert, vitae commodis unice inhiat, nil niſi humile ſapit, gloriae honoriſque ſtimulis non tangitur, ad fortia quaeque prorſus ineptus inertiſſima ſegnitie contabeſcit. Idem praeterea cum ſibi datum eſſe perſuaſum habeat, ut praeſentis vitae bonis duntaxat fruatur, cum ultra non proſpiciat, impune ſibi omnia licere ratus humanis legibus in officio vix aut ne vix quidem contineri poterit. Bonum ergo civem efficit accurata ſui ipſius cognitio.

3. Quod vero homo communem cum brutis conditionem non habeat: quod morte non ita extinguatur, ut funditus intereat: quod praeſentem vitam altera ſequatur: haec inquam aliaque hujuſmodi Chriſtianae Sapientiae fundamenta ſtabiliunt. Si igitur se ipſum homo noſcere negligat, Religionem omnem excutiat oportet.

Quamobrem quicunque beneficentiſſimo Auctori naturae de impertita humanitate se plurimum debere profitetur, ſuarum cognitionum aciem in se ipſe intendat oportet. Eſt enim *illud vel maximum*

ximum animo ipſo animum videre, ut appoſite olim Romanae Eloquentiae princeps ac non ultimus inter Philoſophos Tullius. (*a*) Hujuſque praecepti, ut noſmet ipſos noſceremus, vim tantam eſſe tantamque ſententiam idem advertit, ut illud non homini cuipiam, ſed Delphico Deo tribueretur. (*b*) Ut igitur id, quo nihil praeſtantius in nobis eſt, animum, inquam, quoad ejus fieri poterit, cognitione complectamur, ipſius primum dotes inſpiciemus: tum eſſentiam perſcrutari conabimur: deinde quae ad ipſius facultates attinent diſcutiemus: noviſſime vero admirabilem illum, atque arcanum nexum, quo cum corpore conſociatur, proſequemur.

CAPUT I.

De Humanae Mentis Natura.

QUos rerum novarum ſtudium noſtra praeſertim aetate eo deduxit, ut non modo ſinceram Philoſophiae diſciplinam adulteraverint, verum etiam Religionis, quae novitatem odit, ſanctimoniam contaminare impio conatu aggreſſi ſint: hi quidem *ſimplicitatis* & *ſpiritualitatis* ideas nullam praeſeferre antiquitatem arbitrantur. Eam enim primum a Platone invectam nonnulli ajunt: alii Auguſtinum auctorem praedicant: alii de-

(a) *Tuſcul. lib. I. cap. XXII.*
(b) *De Leg. lib. I.*

mum in Scholaſticorum officinis nuper procudi coepiſſe effutiunt. Nihil ne fando quidem veteribus auditum fuiſſe de incorporeis ſubſtantiis pronuntiant: ipſaque vocabula, quibus hominis animus apud varias nationes deſignari conſuevit, ex *aëris*, *venti*, *halitus*, & *afflatus* denominatione deſumta eſſe advertunt.

In hoc autem impudentiſſime more ſuo mentiuntur. Subſtantias enim a materia ſejunctas ac ſeparatas veteribus innotuiſſe ex iis, quae in Hiſtorica Synopſi delibavimus, abunde liquet. Cudworthus ſane & fuſe & docte (*a*) non paucos antiquos Philoſophos naturas eſſe non extenſas nulla orationis ambiguitate, ſed plane & apertis verbis docuiſſe demonſtrat. Quin & ipſi ſibi parum conſtantes vel inviti idem agnoſcunt. Auctor enim *libri Syſtematis Naturae*, qui palmam nuperis hiſce Philoſophiae novatoribus facile praeripuit, docet, quod cum homines phaenomenorum admiratione abrepti eorum rationes in ipſa materiae natura rimari non valerent, ea ſupernaturalibus ſpirituum viribus adſcribere conſueverunt (*b*). Inde autem ſubnectit non modo profectos eſſe Deos ac Genios apud Gentiles: verum etiam originem traxiſſe unius Dei & humani animi fere communem opinionem. Jam pridem igitur hominibus inſedit ſpirituum ſententia: neque ullius doctrina inſtituti ſubſtantias reapſe

(a) *Syſtem. Intell. Cap. V. Sect. III. §. VII. & ſeq.*

(b) *Syſteme de la Nature, T. I. Chap. VII. ſub finem: tum potiſſimum toto Cap. I. T. II.*

reapſe ſejunctas a materia eſſe ſibi homines perſuaſerunt.

Quod autem ſpirituum naturam non apte diſtincteque plerique veterum explicaverint : quod illorum energias aëris , ignisque viribus compararaverint: quod horum elementorum denominatione ad eos ſignificandos uſi fuerint; id omne ſpiritualis ſuſtantiae notione veteres caruiſſe minime probat . Oſtendit duntaxat veteres imaginationi plurimum tribuiſſe, ejuſque viſiones ac ſimulacra ſuis ideis admiſcentes imperfectam & maxime confuſam humanae praeſertim mentis notionem habuiſſe [a] .

Neque enim negaverim vel ipſa *ἀσωμάτα*, *ἁπλῦς*, *ſimplicis*, *incorporei* vocabula eodem, quo in praeſens ſenſu adhibentur, apud veteres uſurpata non fuiſſe . Quod enim ſubtiliſſimis , leviſſimiſque , atque unius generis partibus conſtat, nonnunquam olim recenſitis vocibus nominatum legimus: cujus rei teſtes inferius productos lege , ne ſinguli appellentur, Ariſtotelem ac Tullium [b]. Verum nega-

[a] *Atque heic obiter advertatur , quantum ineptiat Auctor* Syſtematis Naturae, *cum* cap. VII. Tom. I. *ſinceram ſpiritualitatis notionem* recentem imaginationis partum *appellat . Ea enim comparari nequit , niſi imaginationis conatus intelligentia vincat .*

[b] *Ariſtoteles* Lib. I. De Anima cap. II. *nonnullos refert ignem appellare μάλιϛα τῶν ϛοιχείων ἀσωματώτατον* , inter omnia elementa a corpore quammaxime ſeparatum . *Tullius vero* lib. IV. Acad.

negari etiam nequit, quin antiquorum in hanc rem locutiones plerumque occurrant, quae puram ſimplicitatis notionem praeſeferunt [a].

Omittendum etiam non eſſe reor, Platonicorum nimirum dogma de corpore animae adjuncto non minimum contuliſſe, ut hujus denominationes ab aëris aetheriſque vocibus deſumerentur. At non ſine mendacii nota nullam praeter hujuſmodi voces uſurpatam fuiſſe quis dixerit. Graecis

Acad. cap. XXXIX. Tenemuſne, quid animus ſit? Tresne partes habet, ut Platoni placuit? . . . . An ſimplex unuſque ſit? Si ſimplex; utrum ſit ignis, an anima, an ſanguis? *Atque idem Tullius vocis* ſimplex *ſententiam ita explicat, ut quod alterius naturae partes excludit eo nomine appellari oſtendat. Inquit enim* De Seneſt. cap. XXI. Sic mihi perſuaſi, cum ſimplex animi ſit natura, neque in se habeat quidem admixtum diſpar ſui atque diſſimile, non poſſe eum dividi.

[a] *Tullius quidem, ut eos omittam, quos recenſet Cudworthus loco ſuperius citato, Dei, hominiſque animi naturam ita definit* Tuſcul. I. Cap. XXVII. Nec vero Deus ipſe, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quaedam & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & movens, ipſaque praedita motu ſempiterno. Hoc e genere, atque eadem e natura eſt humana mens. *Legatur etiam* lib. II. de Nat. Deor. cap. VI. & VII. *ubi animi ſimplicitatem tam apte deſcribit, ut horum Philoſophorum judicio in Carteſii doctrina eruditum fuiſſe oporteat.*

cis quidem non modo ψυχὴ & θυμὸς, verum etiam φρὴν & φρένες hominis animus dicebatur. Quin & apud Homerum hujuſmodi diſcrimen inter eas voces deprehendere licet, ut φρὴν & φρένες animum rationis compotem, θυμὸς vero & ψυχὴ animum ſentientem, ſive potius ipſius animi corpus deſignet (*a*). Totius vero Graeciae reclamantis ſibilis exploditur *Syſtematis Naturae* Auctor (*b*), cum

[a] *Legatur Cudvvortus* Cap. V. Sect. III. *qui pluribus veterum ſententiam de duplici animo ſive de corpore aethereo animae conſociato proſequitur. Conſulatur vero praeſertim Moshemius* cit. Cap. §. XX. not. 4. *qui expoſitum Homericarum vocum diſcrimen deducit praeter alia ex illo* Iliad. ψ. v. 104. *ubi* Achilles, *cum ipſi Patrocli anima ejus formam plane referens per ſomnum viſa fuiſſet, ait:*

Ὢ πόποι ἦ ῥά τις ἐςὶ εἰν ἀΐδαο δόμοισι
Ψυχὴ καὶ εἴδωλον, ἀτὰρ φρένες ὐκ ἔνι πάμπαν.

Papae, certe aliqua eſt in orci aedibus
Anima & ſimulacrum, ſed mens non ineſt omnino.

Nimirum φρένες, *quibus Patrocli* ψυχὴ *vacua erat, rationis, conſiliique compotem animum denotant, qui, cum corpus occumberet, ad Deos evolaverat: anima vero ſentiens ad Plutonis, ut putabatur, regnum & umbrarum civitatem deſcenderat.*

[b] *In libello, cui titulus* De l' Ame & de ſon Immortalité chap. IV. Il y avoit déja plus d' un ſiécle qu'on diſputoit parmi les Grecs ſur la nature de l' ame, lorſque Platon entreprit de traiter auſſi cette matiere . . . . Pour exprimer l'ame,

cum Platonem voce Νȣς, ut hominis Mentem nominaret, primum uſum fuiſſe docet. Nihil enim uſitatius in Graecorum Poëtarum antiquiſſimis, ut de ceteris taceam, Homero & Heſiodo reperire licet, quam ut νȣς ſive νόος non modo ad cogitationem, ſed ipſum cogitationis fontem, animum inquam, deſignandum adhibeatur (a).

Verum enimvero non defuere inter veteres Phi-

---

l'ame, il s'eſt ſervi du mot Grec Νȣς, qui ſignifie *la penſée*, & que les Latins rendent par celui de *Mens*. *Atque in eo etiam peccat Auctor, quod* Mentis *nomine intelligentiam duntaxat & cogitationem Latinos intellexiſſe aſſeverat. Ipſum enim animum etiam* Mentem *dixere Latini: ut paſſim in Tuſcul. apud Tullium:*] *vide ſuperius productum illius locum* [*& notum illud Germanici apud Tacitum* Annal. lib. I. Tua Dive Auguſte caelo recepta Mens, tua pater Druſe imago, tui memoria . . . . eluant hanc maculam. *Adde & ipſum Lucretium* Lib. III. v. 94. Primum animum dico, Mentem quem ſaepe vocamus &c.

(a) *Legatur Stephani Theſaurus in voce* Νȣς, *ubi inter cetera citatur illud ἐνὶ ϛήθεσσιν ἀτάρβητος νόος*, Iliad. Γ. v. 63. in praecordiis intrepidus animus: *ibique νόον non intelligi niſi animum inde patet, quod illius ſedem ac domicilium in corde ab Homero poſitum fuiſſe conſtat. Adde Heſiodum, qui* Ἐργ. v. 67. *Pandorae fabricationem deſcribens infuſam in ea νόον, h. e.* animum *ait: vide etiam ibid.* v. 320. 683.

Philoſophos, qui a communi aliorum ſententia deſciſcentes humanae Mentis naturam ad materiae conditionem redigere, vel penitus profligare conati ſunt. Democritus quidem ac Epicurus, apud quos nihil eſt, quod non atomorum turba conficiat, rotundis ac laevibus corpuſculis animum componi docuerunt. Vide Synopſin Hiſtoricam.

At longius progreſſi Ariſtoxenus & Dicaearchus. Ille enim, quippe muſica delectabatur, ipſius corporis intentionem quandam velut in fidibus eſſe animam, atque *ex corporis totius natura & figura varios motus cieri, tanquam in cantu ſonos* docuit, teſte Tullio (*a*). Hic vero eodem referente (*b*) Tullio *nihil eſſe omnino animum* tradidit, *& hoc eſſe nomen totum inane, fruſtraque animalia & animantes appellari: neque in homine ineſſe animum vel animam, nec in beſtia: vimque omnem eam, qua vel agamus quid vel ſentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter eſſe fuſam, nec ſeparabilem a corpore eſſe; quippe quae nulla ſit, nec ſit quidquam, niſi corpus unum & ſimplex, ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat & ſentiat*. Impurum heic reſpice fontem, unde nuperi Philoſophiae, ut gloriantur, inſtauratores omnes biberunt.

Jam vero inter juniores Philoſophos, qui Dicaearchi rivulos conſectati ſunt, praeter ceteros exſtitit *Thomas Hobbeſius* Anglus defunctus anno 1679. qui non aliud agnoſcit cogitationis princi-

(a) *Tuſcul. I. Cap. X.*
(b) *Ibid.*

cipium, quam corpus ipſum, & perceptiones ſenſuum motus eſſe decernit. Ita porro ipſe in *Philoſophiae Elementis*, atque in *Leviathane*, in quem librum potiora ſuae doctrinae capita congeſſit, rem perſequitur (*a*).

Singulae res objectae a nobis cognoſci nequeunt, niſi in noſtri corporis ſenſus incurrant. Omnium igitur noſtrarum cognitionum origo a ſentiendi principio, quod nobis ineſt, repetatur oportet. Hoc autem principium prorſus corporeum eſt. Talis enim eſt noſtrae conditionis ſtatus, ut novae ſemper rerum cognitiones veteribus ſubeant. Perennis autem iſthaec perceptionum ſucceſſio, quarum aliae aliis occidentibus excitantur, aperte oſtendit ſentiendi principium continuas ſubire viciſſitudines. Atqui ſimplex ſubſtantia nullam mutationem in se admittere poteſt. Principium igitur ſentiendi partes habet; quarum quidem mutatio in cauſſa eſt, quamobrem in nobis verſetur hujuſmodi cogitationum ſucceſſio.

Ex his autem colligit Hobbeſius cogitationem per partium motionem abſolvi. Illa enim partium mutatio, quae in ſentiendi principio locum habet, non eſt, niſi diverſa earumdem diſpoſitio. Quid autem motus, niſi partium temperatio? Hujuſmodi porro motus ſentiendi principio communicatur ab objectis, quae in illud agunt.

Quod quidem ita fere exponit Hobbeſius. Res ob-

(a) *Hanc Hobbeſiani Syſtematis ſynopſin ex Auctore Libri, cui titulus* Examen du Fataliſme, Tom. I. V. Epoque §. I. *totidem fere verbis exſcripſimus*.

objectae in exteriores corporis ſenſus offendunt; atque ita in illos agunt, ut extimae ipſorum partes preſſae vicinas propellant, donec ceteris deinceps partibus agitatis ad ſentiendi uſque principium actio perducatur. Cum autem huic motui ſentiendi principium reſiſtat; propterea inde renixus quidam exoritur: atque ex hac *reactione*, quam dicunt, cognitionem, ſenſum, aut perceptionem proficiſci docet Hobbeſius.

Jam vero perceptionum ſeries perinde in nobis contexitur, atque objecta, quae ad corporis ſenſus appellunt, alia aliis ſuccedunt; quae quidem perceptionum ſucceſſio eſt illa, quam ratiocinationem dicimus. Nequeunt enim illae aliae alias excipere, quin ſentiendi principium, quod perceptionum ſubjectum eſt, ipſarum diſcrimen perſentiſcat.

Hobbeſio potiſſimum jungendus eſt *Guilielmus Cowardus* Medicus Londinenſis, qui hoc ſeculo ineunte in libro, cui titulus *Cogitationes poſteriores de Anima*, humanam Mentem ſubtilem ignem eſſe, eumque cum vita corporis eamdem virtutem conſtituere docuit.

Humanae Mentis ſimplicitatem, quin imo Mentem ipſam adorti ſunt memoria noſtra peſtilentium libellorum auctores, quibus praeſens ſeculum inundari probi quique viri ingemiſcunt. Helvetius quidem, cujus nomen apud Politicos magnum eſt, at inter Chriſtianos, quin & pios erga Deum male audit, ita de homine philoſophatur. Quod *Spiritus* vocabulo in homine deſignatur, duo ipſi ſignificare videtur, aut cogitandi facultatis effectum, quo ſane ſenſu omnium

cogi-

cogitationum coagmentatio ſpiritus erit, aut ipſam cogitandi facultatem. Si altero ſenſu ſpiritus accipiatur, ut illius naturam deprehendere liceat, ea inſpicere jubet Helvetius, unde in nobis oriantur ideae.

Duas porro ipſe nobis ineſſe facultates docet, ſive potius paſſivas potentias: alteram, qua rerum objectarum varios ictus ſuſcipimus, quam *phyſicam ſenſibilitatem* vocat: alteram vero, qua ſuſceptos illarum ictus retinemus, quam *memoriam* appellat, ſive continuatam debiliorem ſenſationem. Hujuſmodi autem facultates, quas homo cum brutis communes habet, determinatae cuidam ſenſuum ſtructurae conjunctae idearum omnium fontem Helvetio docente conſtituunt.

Heic autem quaerit ille, num hujuſmodi facultates Subſtantiae ſpiritualis modificationes ſint, an vero corporeae. Atque hanc quaeſtionem in medio relinquens ſuo propoſito argumento quamcunque ſententiam congruere adfirmat: cum utraque probabilibus duntaxat, non vero ἀποδεικτικοῖς [*demonſtrativis*] argumentis exigi poſſit. Quamvis autem quaeſtionem ſuo arbitrio definire recuſat: in eo tamen se occupat, ut univerſas ideas ex phyſica ſenſibilitate oriri pro explorato ſtatuat. Tum & illud oſtendere nititur, reminiſci nimirum, ac judicare perinde eſſe, ac ſentire.

Haec Helvetius in opere, cui titulus *De l' Eſprit*: eadem recinit in opere poſthumo *De l' Homme*; illud addens, quod inter animam ac ſpiritum magnum intereſt diſcrimen. Animae naturam inter incomperta collocat: ſpiritum in idearum congerie ſitum eſſe docet. Ea inter se dif-

differre ait: 1. quod naſcitur homo anima quidem, at non ſpiritu praeditus: 2. quod ſpiritu, quamvis vivat, deſtitui homo poſſit, at non anima, niſi & vita privetur: 3. quod ſine ideis anima ſit, ſpiritus vero non item. At licet haec duo inter se diſcrepant, Helvetio tamen docente, ſpiritus originem ſuam animae debet. Memoria enim, quae ſpiritum parit, ſentiendi facultate deſtituta nulla eſt. Haec igitur in homine praeeat oportet, ſi ideis ac ſpiritu pollet. Atqui ſentiendi facultas ipſiſſima anima eſt. Unde autem in homine iſthaec ſentiendi facultas? Ex univerſi corporis ſtructura, atque organicarum partium fabricatione pronuntiat Helvetius.

Meriannus, ſive Auctor libri *Syſtematis Naturae*, qui, ut ſuperius diximus, novitatis accuſat ſpiritualis ſubſtantiae ideam, Mentem corporis ipſius partem eſſe docet, ſive potius corpus ipſum, prout certis quibuſdam facultatibus pollet ex determinata ejuſdem ſtructura. (*a*) Id autem adeo exploratum habet, ut univerſas actiones, quae hominis animo communiter tribuuntur, ex incorporea ſubſtantia proficiſci non poſſe tueatur. Singulas igitur facultates, quas *intellectuales* vocant, putiſſimas modificationes eſſe tradit; quae ex corporis temperatione oriuntur.

Hinc 1. noſter *αὐτάτῳ* Syſtematis Architectus *ſenſum* definit certam rationem, qua corporum animantium quaedam organa moventur, ex appulſu rerum objectarum in ea, motionisque iiſdem communicatae trajectione ad cerebrum uſque.

2. Quae

(*a*) *Syſteme de la Nature T. I. Chap.* VII. VIII.

2. Quae inde oritur determinata cerebri concuſſio *conſcientiam* conſtituit.

3. Mutationes autem, quibus cerebrum ſubjicitur ex objectorum ictibus in extima ſenſuum organa, *ideae* appellantur, ſi rebus, unde oriuntur, illas mutationes cerebrum referat.

4. Hujuſmodi mutationum, quas cerebrum ſubit, perceptio *cogitationem* efficit; quae etiam obtinet, cum ſuopte ingenio cerebrum ſeſe modificat. Neque enim extrinſecus duntaxat modificationes cerebrum in ſe ſuſcipit, verum etiam ipſum ſibi eas creat.

5. Novas porro perceptiones atque ideas ſibi cerebrum comparat, cum excitas in ſe motiones conſiderat: in quo ſita eſt *reflexio*, quam dicunt; cerebrum enim in ſe ipſum reflectitur.

6. Vis porro ea, qua praeteritas modificationes iterum in ſe cerebrum efficit, *memoriam* conſtituit.

7. *Imaginatio* vero ea eſt cerebri facultas, qua novas ideas procudit illarum rerum nota ſignatas, quas per ſenſus excepit. Hinc ipſo Auctore docente in eo diſcrepat imaginatio a memoria, quod per hanc eas ſibi res rurſus cerebrum praeſentes ſiſtit, quae ad ſenſuum organa appulerunt: illius vero ope ſuſceptas modificationes ita componit, ut objecta ſenſibus nunquam obnoxia effingat.

8. *Judicii* nomen impoſitum eſt facultati, qua ſuas modificationes inter ſe cerebrum comparat, ut illarum relationes aut effectus deprehendat.

9. *Voluntas* autem dicitur cerebri modificatio, qua ad actionem diſponitur, nimirum ut corporis

ris organa moveat, quo aut ſibi adjungat, quod propriae naturae conſentaneum eſt, aut propulſet, quod nocet.

10. Objecta aut ideae interiores, quae hanc in cerebro diſpoſitionem efficiunt, *motiva* appellantur, quippe quae cauſſam praebent, cur corporis organa moveantur. Singulae enim ſenſationes, ideae, ac perceptiones jucundae ſunt aut moleſtae, & cerebrum ad agendum impellunt perinde, atque illud propria valet energia; quae non eadem eſt in ſingulis hominibus, ſed ex vario eorumdem temperamento proficiſcitur.

11. Hinc ſuam habent originem paſſiones, quae ipſius cerebri, prout ab objectis attrahitur vel repellitur, ſunt modificationes: atque earum impetus major eſt aut minor in ratione, ut Geometrae loquuntur, compoſita ex convenientia, aut repugnantia, quam cum temperamenti viribus habent res objectae.

Atque haec ſumma eſt totius opinionis Merianni. Non juvat aliorum, qui in eodem luto ſe volutarunt, deliramenta exponere. Omnes enim in eo conſentiunt, ut nihil omnino eſſe Mentem, & hoc eſſe nomen totum inane arbitrentur. Quippe principium illud, unde vivimus, & cogitamus, a corporis ipſius partibus repetendum eſſe; idque nobis eſſe cum beſtiis plantiſque commune effutiunt. Nefandos hujuſmodi errores diſſeminarunt Auctores libellorum, qui titulos praeſeferunt *Dictionnaire Philoſophique portatif*: *Philoſophie de l' Hiſtoire*: *A, B, C, Dialogue Curieux*, &c.

Ab horum opinione non longe diſcedere videtur

tur *Joannes Lockius* , qui (*a*) licet cogitationem a corporis motionibus diſtare fateatur; eo tamen artificio materiam a Deo temperari poſſe docet, ut cogitandi vi praedita exſiſtat.

Hactenus haec : nunc noſtri muneris partes poſtulant, ut ea, quae tanto argumento par eſt, induſtria Humanam Mentem ab omni prorſus materia immunem eſſe demonſtremus.

Mentis igitur nomine intelligimus illud, quod in nobis cogitat, ac ſui ſuarumque cogitationum conſcium eſt: nimirum *principium activum* , unde quidquid in nobis ita eſt, ut ejus conſcii ſimus, veluti e ſuo fonte proficiſcitur.

Contra Materiam ſive Corpus dicimus ſubſtantiam extenſam, ſolidam, mobilem, diviſibilem, atque inertem. His enim potiſſimum propietatibus, queis corpora exſpoliata animo complecti nequimus, corpora ipſa praedita eſſe ſenſibus percipimus. Eſt autem 1. extenſum, quod ſcilicet partium continuationem, aliam cum alia nexam, omnes vero inter se aptas & colligatas habet. 2. Solidum eſt, quod alteri reſiſtit, ne eumdem locum, quem occupat, illud obtineat. 3. Mobile dicitur, quod aptum eſt, ut plura loca per ſucceſſionem perluſtret. 4. Diviſibile, quod in partes dividi poteſt. 5. Iners illud eſt, quod pro ſui ipſius conditione in eodem ſtatu ſemper perſeverat ; ita quidem, ut ſi quieſcat ad motum ex se nunquam proſiliat: ſin moveatur, motum uſque retineat.

PRO-

(a) *Eſſai Philoſoph. de l' Entendem. Humain Liv. IV. chap. 3.*

PROPOSITIO I. *Quod in nobis cogitat, non eſt corpus ipſum.*

Demonſtratur I. Si quod in nobis cogitat, eſſet corpus ipſum; cogitatio vel ex aliqua principe illius parte, vel ex omnium partium complexione oriretur. Atqui tum ſingulae, tum univerſae ſimul corporis partes ineptae ſunt ad cogitationem efficiendam. Ergo.

Singulae quidem corporis partes ceterarum partium communione deſtitutae ſenſum in nobis ciere non valent. Ne igitur quidem cogitare poſſunt. Exploratum enim eſt, ſenſum in nobis cieri, cum in organis ſenſoriis ex rerum externarum appulſu excitatus motus ad cerebrum uſque devehitur. Quaecunque propterea veluti itinere intercepto hujuſce motus ad cerebrum uſque diffuſionem impediunt: eadem prohibent, quin ſenſus in homine excitetur. Una igitur pars ab aliarum ſocietate ſegregata ſenſui excitando non eſt. Quis autem eam cogitare dixerit? praeſertim cum totam cogitationem ad ſenſum revocent Materialiſtae.

Quamobrem inter comperta recenſendum eſt, humani corporis partes ſingillatim ſumtas omnis ſenſus & cogitationis prorſus expertes eſſe. In quo quidem nobiſcum conſentiunt Materialiſtae. Ipſi enim, ut ex Hobbeſii, Helvetii, ac Merianni expoſitis opinionibus patet, ſenſum atque inde cogitationem ex determinata ſtructura ac temperatione, qua humani corporis organicae partes inter se aptae & ſociatae ſunt, proficiſci docent. Ad trutinam igitur revocare oportet, num partium omnium complexio cogitationem pariat.

Id porro eo redit, num compoſitum proprietates habere poſſit, quibus partes integrantes ſingillatim ſumtae deſtituuntur. Hujuſmodi igitur examen inſtituamus (*a*).

In anteceſſum porro animadvertendum eſt, quod *componi* illud dicitur, quod partes conſtituunt, quae inter ſe diſtinctae ac ſeparatae conjunguntur & ſociantur. Jam porro ex partium coagmentatione duplex proprietatum genus in compoſitum derivari poteſt. 1. Totius enim compoſiti ordo, proportio, ac ſymmetria ex apta partium cohaeſione proficiſcitur: quae quidem proprietas ad partes ſingillatim ſumtas non attinet. 2. Si partes ita conjunguntur, ut ipſarum qualitates ſeu energiae in unum coëant; effectus inde orietur, quem partes ſingillatim ſumtae parere non valebant. In quo ſane ſitum eſt genus alterum proprietatum, quae originem ſuam compoſitioni debent. Hoc autem proprietatis genus originem ducit ex compoſitione; quia nimirum partium vires dirigit, definit, ac temperat compoſitio, qua fit, ut illae in unum conſpirent. Novas igitur vires non creat compoſitio: ſecus enim in compoſito effe-

(a) *Propoſiti argumenti robur ac pondus a Cl. Hollandio mutuati ſumus, qui ſolidiſſimis argumentis Meriannum uſque ad internecionem profligavit in Opere, cui titulus* Reflexions Philoſophiques sur le Syſteme de la Nature. *Ex hujus non ignobilis Philoſophi obſervationibus nonnihil profeciſſe ingenue fatemur: quod ſemel heic monuiſſe ſatis erit; ne quis moroſus avis furtivis ornatae coloribus ludibrium minitetur.*

effectus ex nihilo oriretur.

Rem exemplo illuſtremus. Partes, quae pyrium pulverem conſtituunt, ſimul permixtae nihil novi adquirunt: ſed ſingulae ſuas exſerunt vires. Sulphur incenſum velut e vinculis liberat aërem, qui denſatus in nitri poris includitur: ignem fovet carbo: aër vinculis ſolutus ex propriae elaſticitatis legibus extenditur, atque in obſtacula agit, quae prohibent, quominus explodatur. Hujuſmodi igitur partium compoſitio id praeſtat, ut ipſarum peculiares vires ita temperet, ut aliae alias impellentes collatis viribus in unum conſpirent.

Jam porro his poſitis: ſi cogitandi facultas ex humani corporis partium complexione proficiſcitur: ea aut ex ſimplici illarum compoſitione orietur; aut ex virium conjunctione proſiliet, quibus ſingulae partes ornantur. Atqui neutrum ſenſum aut cogitationem gignet. Ergo.

Probatur pars prima Aſſumtionis. Cujuſcunque effectus ratio ſufficiens adſit oportet. Atqui ſi partium ſimplex compoſitio, qua nimirum illarum aliae juxta alias poſitae ſecum conſociantur, compoſito facultatem adderet, qua partes carent; ſine ratione ſufficienti facultas illa compoſito ineſſet. Ergo. Re ſane vera quantumvis nihil repetatur, nunquam prodibit ens: aut ſi caecorum ſocietatem utcunque diſponas, nunquam oculorum uſum ſocietati impertieris. Partes igitur ſenſus & cogitationis expertes utcunque temperatae nunquam corpus ſentiens & cogitans efficient.

At inquies, proportionem ac ſymmetriam, quae

quae partibus non ineſt, ex earumdem compoſitione proficiſci. Unde eodem pacto & cogitationem oriri poſſe concludes.

Verum alia omnino eſt ordinis, proportionis, ac ſymmetriae ratio. Nam 1. ſymmetria non eſt compoſiti, cui tribuitur, proprietas: ſed modus eſt, quo compoſitum ipſum a nobis inſpicitur: unde fit, ut ſymmetria tota ſit penes intelligentiam noſtram, quae partium varietatem percipiens, quo pacto aliae aliis congruant, expendit. 2. Symmetria omnino locum habere nequit, niſi plures partes certo quodam ordine digeſtae aliae aliis apte reſpondeant. Nimirum ſingulae partes ſeorſum poſitae nihil ſymmetricum edunt. Jam vero cogitandi facultas, utcunque conſideretur, numquam proprietas eſſe poterit, quae ex ſimplici partium adhaeſitatione oriatur.

Probatur pars altera. 1. Virium natura ejuſmodi eſt, ut eaedem ſint, ſive ſeorſum, ſive conjunctim agant: quod ex ſuperius dictis patet. Fieri igitur nequit, ut totius compoſiti vis diverſa ſit a viribus ſingularum partium. Finge cogitandi facultatem proſilire ex partium non cogitantium compoſitione utcunque temperata: ratio ſufficiens hujuſce facultatis ex nihilo eſſet. In partibus enim componentibus non adeſt; quippe illae ſeorſum non cogitant. Ipſa compoſitio eam creare nequit; haec enim vires novas non addit, ſed partium vires temperat, & in unum cogit. Quaevis igitur partium temperatio ſenſum & cogitationem efficere nequit.

2. Partes corporis ſecum conjunctae viribus quidem conſpirant in unum, cum motu quodam agi-

agitatae aliae alias pellunt, ac pelluntur. Si igitur cogitationem efficerent; ex mutuo ipſarum motu ea oriretur. Atqui motus non eſt cogitatio, neque cogitationem efficere poteſt. Ergo. Motus enim ſitum, curſum, & poſitionem partium exhibet, praeterea nihil. Situs autem, curſus, & poſitio non eſt cogitatio. Nemo quidem dixerit facultatem percipiendi, judicandi &c. eamdem eſſe ac facultatem plura loca ſucceſſive perluſtrandi. Tum ne concipi quidem poteſt, quod lineae, anguli notiones, voluptatis dolorisve ſenſus ſint veluti quidam conatus ab uno in alium locum commigrandi. Nihil igitur motus complectitur, quod vel aliquam cogitationis imaginem aut umbram praeſeferat.

3. Si reciprocus partium corporis motus ſenſum aut cogitationem efficeret, nihil diſcriminis eſſet ſenſationem inter aut ideam, & id omne quod motum producit, aut ex motu oritur. Nihil autem commune habet *odoris* ſenſus cum particulis corporis odori illum cientibus, aut cum fibris olfactoriis, quae titillantur. Neque *viſio* eadem eſt, ac lux, oculus, nervique optici concuſſio. Motus igitur ac ſenſus & cogitatio longo intervallo inter se diſtant.

Demonſtratur II. Quinque noſtro corpori attributi ſunt ſenſus, per quos ſingulos veluti per totidem vias ſenſationes haurimus. Singularum autem ſenſationum judicem a ſenſibus diſtinctum nobis ineſſe experimur. Quod igitur in nobis cogitat eſt quid a corpore prorſus diverſum.

Probatur Minor. Unuſquiſque ſibi conſcius eſt, se varias, quibus afficitur, ſenſationes compara-

re, voluptatem ac dolorem internoſcere, voluptatis doloriſque intentionem aut remiſſionem apte diſtinguere. Atqui quod de ſingulis ſenſationibus judicat, & voluptatem aut aegritudinem, quam illae cient, expendit: idem dolorem ipſum ac voluptatem ſentiat oportet. Quamcunque enim licet vividis expreſſam coloribus voluptatis aut doloris imaginem quis mihi repraeſentet; nunquam tamen doloris gravitatem, aut ſuavitatem voluptatis cogitatione complectar, niſi aliquando ea in me ipſo experiri contigerit. Oportet igitur, ut quem mearum ſenſationum judicem mihi ineſſe ſentio, is ſenſationes ipſas excipiat. Jam vero ſinguli ſenſus res, quae in alium ſenſum incurrunt, excipere nequeunt. Neque enim oculi ſonos haurire, aut aures lucem & colores videre poſſunt. Quod igitur in nobis ſenſationes omnes excipit, a corporis ſenſibus omnino diſtinguitur [a].

At inquies, illud, quod in homine ſenſationes omnes excipit, cerebrum eſſe; ad quod nervorum omnium concuſſiones veluti ad commune ſenſorium deferuntur. Nihil igitur a corpore diſtinctum admittatur oportet, cui ſenſationum omnium judicium adſcribatur.

Verum cerebri functiones in ſenſationibus nihil prae-

[a] *Hujuſmodi argumentum ingenioſiſſime proſecutus eſt Plato in* Theaeteto: *Hujuſque Dialogi ſummam vide, ſi lubet, apud Cudworthum* De aetern. Juſti & Honeſti notion. lib. III. Cap. III. *Unde videtur illud exſcripſiſſe S. Athanaſius.* Orat. contra Gent. cap. 31.

praeſeferunt, quod perceptionem aut cogitationem efficiat. Quatuor quidem in qualibet ſenſatione diſtinguuntur: res exterius objecta, hujus ictus in organi ſenſorii nervos, nervorum motus uſque ad cerebrum diffuſio, rei tandem objectae ſenſus, ſive perceptio, & cogitatio. Quae quidem omnia ſuo loco fuſius proſequemur. Cerebrum ſane, ſive peculiaris quaedam illius pars in objectorum ad ſenſus appulſu certa quadam a nervis illuc pertingentibus communicata motione afficitur. Atqui iſthaec cerebri motio ſenſum & perceptionem non conſtituit.

Nam 1. Nihil commune habet rei objectae ſenſus ac perceptio cum nervorum cerebrique motione. Quod in me ſentio, cum ex. gr. citharae ſonum auribus excipio, nihil praeſefert, quod chordae tremori, aëris oſcillationi, tympani & acuſtici nervi concuſſioni, & cerebri motui affine ſit ac ſimile. Si cerebrum ſentiret, illud utique ſentiret, quod ſibi proprium eſt ac peculiare, motum nimirum ex nervi acuſtici concuſſione communicatum.

2. Si motus iſte in cerebro excitatus ſenſum ac perceptionem conſtitueret; ſenſus profecto in homine cieretur, quoties motio ſenſibus impreſſa a rebus objectis ad cerebrum uſque diffunditur. Atqui perſaepe fit, ut nullo ſenſu afficiamur, licet objecta in ſenſus incurrant, & libero nervo ad cerebrum motio devehatur. Eſt aliquid igitur in nobis a cerebro diſtinctum, quod niſi intendat & adſit, nullus erit ſenſus, nulla perceptio.

3. Quod ſentit, ac percipit ſuae affectionis conſcium ſit oportet. Atqui nulla ſuae modifica-

tionis conſcientia cerebrum afficitur. Quae enim in nervorum ſyſtemate, cerebrique ſubſtantia modificationes producantur, cum ſenſus cietur, nobis latet: & ſi quid in hac re cognitum habemus, id Phyſiologorum debemus doctrinae, qui ad humani corporis fabricationem perſpiciendam acriter animum intenderunt. Quaecunque igitur in ſe ipſo obtinent, cerebrum neque novit, neque ſentit. Ergo ſenſationum noſtrarum judicium ad cerebrum minime pertinet.

Demonſtratur III. Interiorem pugnam cum ſuo corpore unuſquiſque gerit; illud enim veluti bello indicto laboribus ſubjicimus; ipſius temperationi vim inferimus; & nonnunquam, ut ſolent milites, certo mortis periculo exponimus. At ſi totus corpus ſim, ſi una duntaxat in me ſit ſubſtantia; ecquid illud erit, quod adverſus corpus dimicat? Numquid una eademque ſubſtantia ſecum ipſa pugnat, & ſeipſam interimere amat? Equidem niſi inter duos athletas pugna & conflictus iniri non poteſt. Eſt quid igitur in nobis, quod a corpore diverſum ſuis ducitur gloriae, virtutis, praemii rationibus, queis corporis ipſius indolem refraenans huic obluctetur.

PROPOSITIO II. *Mens humana eſt ſubſtantia a Corpore diverſa.*

Demonſtratur I. Proprietates, quarum una alteram excludit, una eademque ſubſtatia complecti nequit. Atqui frontibus adverſis pugnant Mentis, & Corporis proprietates. Immane igitur diſcrimen Mentem inter, & Corpus intercedit. Intimo enim experimento perſentiſcimus, Mentem in nobis percipere, judicare, ratiocinari, ſuos actus ſecum repu-

reputare, atque eorumdem conſciam eſſe. Haec autem omniaita a Corporis proprietatibus abhorrent, ut nullo pacto commune *ſubjectum* habere queant.

Minor probatur quod ad ſingulas attinet cogitationis ſpecies. Et 1. cum judicamus, ita quidem nos nobiſcum agere ſentimus, ut inſtituta duarum idearum comparatione, earum mutuam relationem deprehendamus. Id autem eo pacto nos aſſequi experimur, quod cum una & altera idea uno eodemque temporis veſtigio nobis obverſatur, eas ſecum convenire, aut repugnare colligimus.

Eſto autem hujuſmodi judicium in re corporea locum habeat, atque ſit quaedam ipſius modificatio; ideae igitur non erunt niſi ſolidae materiae partes, quae veluti nota quadam ſignatae ideas praeſeferunt. Hae autem uno momento ibidem exſiſtentes ita in unum coëant oportet, ut una alteram penetret. Perceptio enim relationis illarum haberi nequit, niſi compenetrentur. Si enim ita componantur, ut una juxta alteram ponatur: haec compoſitio non erit judicium: ſed duarum idearum praeſentia. Nobis quidem conſcii ſumus, quod perſaepe duae ideae nobis praeſentes ſint, quarum nullam comparationem inſtituimus. Judicium igitur, quod eſt perceptio relationis duarum idearum, explicari nequit in re corporea, niſi ſolidae illius partes invicem penetrentur. Partes igitur materiae penetrabiles erunt. Atqui ſolidas eſſe & experimur, & nullus dubitat. Componi igitur non poteſt cum ſoliditate judicium. Valde igitur inter

se

se diſcrepant judicii, & ſoliditatis ſubjecta.

2. Materiae repugnat etiam Ratiocinium. Illud enim inſtituitur, cum ex duobus judiciis tertium colligimus. Nimirum ex duarum idearum comparatione cum tertia, mutuam earum relationem deducimus. Atqui ex oſtenſis hujuſce relationis perceptio in re corporea praeſtari nequit, niſi ſolidae illius partes in unum confluentes ſeſe invicem penetrent. Soliditate igitur exſpolianda eſſet Materia.

3. Materiae repugnat Conſcientia, ſive ſenſus ille, quem ſingulos actus noſtros comitari intime experimur. Materia enim partibus componitur: ſingulae autem partes ſuarum duntaxat actionum conſciae eſſent, non vero omnes omnium. Atqui unum idemque actionum conſcium in nobis experimur. Ergo.

4. Materiae repugnat etiam quae vulgo dicitur *Reflexio*. Intime experimur, Mentem in nobis ſuos quoſque actus ſecum ipſam reputare, ac veluti in ſeipſam reflexam se intueri. Atqui ſi Mens humana corporea eſſet, vel ſi hujuſmodi cogitationis genus corpori adſcribi poſſet; profecto corpus in se ipſum converti deberet. Id autem quo pacto in materia fieri poterit? Quippe materiae partes in alias partes reflecti poſſe videmus: at quod, quanta quanta eſt corporea ſubſtantia in totam ſeipſam reflectatur, id nimirum eſt, quod in materia fieri poſſe ne concipere quidem licet.

5. A Materia abhorret Perceptio. Proprietatum ea eſt natura & indoles, ut niſi res ipſa, cui illae peculiares ſunt, cognoſcatur, plane concipi

cipi nequeant. Atqui unuſquiſque ſuae perceptionis ideam aſſequitur, etiamſi non modo corpori non attendat, verum etiam corporis ideam reapſe negligat. Perceptio igitur corporis proprietas eſſe nequit. Et revera uſque adeo verum eſt perceptionem a nobis cognoſci, quamvis corpus ipſum non cognoſcatur, ut licet mihi perſuadeam nulla omnino corpora exſiſtere, in explorato tamen mihi ſit meipſum exſiſtere: quippe me cogitantem, percipientem intelligo. Adeo nulla affinitas, & neceſſitudo Perceptionem inter, & Corpus intercedit.

6. Tandem & ipſa Senſatio corpori adſcribi non poteſt. Intimo experimento conſtat, unum in nobis eſſe, quod ſentiat, unum, quod omnium ſenſationum judex ſit. Atqui ſi corpus ſentiret, non unum in me ſentiens, ſed totidem ſentientia experirer; quot nimirum partibus illud componitur. Praeterea ſingulae partes de ſingulis, non vero de univerſis ſenſationibus judicium ferrent. Atqui conſcientiae teſtimonio id refragatur. Ergo.

Demonſtratur II. Cogitatio actus eſt ſimplex atque individuus, quem utcunque metiri aut dividere non licet. Atqui nihil eſt in Subſtantia corporea, quod in partes dividi, aut minui & augeri non poſſit. Cogitatio igitur rei corporeae proprietas eſſe nequit.

Re ſane vera non eo dementiae devenerunt Materialiſtae, ut ſuis deliramentis abrepti ſomniaverint ſemiſſem aut trientem cogitationis, primum aut alterum judicii momentum, digitum aut pedem ratiocinii. Vel inviti igitur cogitationis ſimplicitatem fatentur. Iidem porro diffiteri non poſſunt cogitationem actum eſſe non

ex-

extimum & *tranſeuntem*, ſed intimum atque *immanentem*, ut ajunt; nimirum qui in ipſa re fit, quae cogitat. Tum & illud etiam concedant oportet, quod actus natura agentis naturae reſpondere debeat. Igitur niſi caecutiant deprehendant oportet, individuum actum intimum dividuae ſubſtantiae repugnare.

Actus enim intimus in re dividua aut multiplex, aut partitus ſit oportet. Nam aut ſingulae partes actum edunt; totidem propterea erunt actus, quot partes. Aut ſingulae partem actus duntaxat efficiunt; actus igitur per univerſas diſperſus partes diviſionem patitur. Simplex itaque actus intimus ſimplicem poſtulat ſubſtantiam. Quamobrem humana Mens ſimplex eſt atque incorporea.

Demonſtratur III. Si noſtrarum cogitationum principium ſubſtantia ſit corporea, elementares illius partes cogitandi facultate polleant oportet; partes enim non cogitantes compoſitum cogitans non efficient: ex oſtenſis in priori Propoſitione. Minimarum autem partium cogitatio aut imperfecta, aut perfecta erit. Si ſingularum atomorum cogitandi facultas a perfectione deſciſcit; numeris omnibus abſoluta non erit totius ſubſtantiae cogitatio. Excellentioris enim virtutis proprietas nunquam prodibit ex proprietatum inferioris ordinis coagmentatione. Rudium quidem & agreſtium hominum quaevis multitudo ingenii vires non exſeret, quae praeſtantis Philoſophi intelligentiam exaequent.

Quamobrem ſi ſubſtantia corporea intelligendi vi praedita exſiſtat, minimae illius partes perfecte

ſte intelligant oportet perinde, ac tota ſubſtantia. Singulae igitur elementares partes perfecte cogitant. Quorſum vero plurium atomorum numerus? eumdem enim effectum aeque una ac omnes edunt. Si dicas cogitandi facultatem ſingulis atomis ita eſſe diſpertitam, ut una intelligat, altera reminiſcatur, tertia velit &c. abſurdus eris. Totius enim cogitationis functiones unum omnino jn me obire perſentiſco.

Illud itaque ſtatuas neceſſum eſt, quod plurium atomorum cogitatio ad unam inter eas principem transmittatur, quae nimirum aliarum perceptiones in unum cogat. At iſthaec princeps atomus meterialis eſt. Extenſa igitur & partibus compoſita. Revolveris ergo eodem, unde incepimus. Itaque cogitandi facultas ſubſtantiae corporeae omnino repugnat.

Demonſtratur IV. Materia iners eſt, atque ita ſibi conſtans, ut in eo, in quo eſt, ſive quietis, ſive motus ſtatu perſeveret. Atqui activam ac verſatilem Mentem experimur. Ea enim vi interiore & ſua cietur: ex alio ad alium actum ſuopte ingenio proſilit: atque in ipſis, quas obit actiones, irrequieta manet. Mens igitur ſubſtantia ſit oportet a corpore omnino diverſa.

In expoſita Syſtemata animadverſiones.

QUae hactenus diſſeruimus facilem viam ſternunt, ut expoſita Materialiſtarum Syſtemata refutemus. In eo quidem omnes conveniunt, ut ſubſtantiam, quae in homine cogitat, a corpore diſtinctam inficientur, cogitationem cerebro,

bro, & phyſicae ſenſuum ſtructurae adſcribant. Atqui cerebrum, ceteraſque humani corporis partes cogitationi efficiendae ineptas eſſe abunde oſtenſum eſt in priori Propoſitione. Vacillant igitur fundamenta, quibus ſua illi ſuperſtruunt ſyſtemata.

Verum pauca quaedam advertere praeſtat, ne quid non confutatum in ipſorum ſyſtematis relinquatur. Et quod ad Hobbeſium attinet: I. ipſe ſtatuit cognitionum omnium originem a ſentiendi principio eſſe repetendam. Perplexa heic ambiguitas occurrit. Univerſa enim cognitio ad res duntaxat, quae in corporis ſenſus cadunt, ab Hobbeſio revocatur. Atqui plura cognoſcimus, quae ſenſibus non ſubjiciuntur. Sentiendi igitur principium, quale ſtatuit Hobbeſius, non eſt illud, unde homo cogitat. Nimirum ſentiendi principium Hobbeſio eſt ipſum cerebrum, ſeu peculiaris quaedam cerebri pars, unde nervi omnes originem ducunt, & ad quam ipſorum motus refertur; quod propterea *commune ſenſorium* appellatur.

II. Simplicem ſubſtantiam mutationem admittere poſſe negat Hobbeſius. Si nulla eſt mutatio niſi quae ex partium motu proficiſcitur, recte res habet. At viciſſitudines, quas id, quod in nobis cogitat, ſubire experimur, proficiſcuntur ex cognitionibus, quarum aliae alias excipiunt. Novas porro Mens cognitiones adquirit, noviſque ſenſationibus afficitur, prout objecta, quae ſentit, alia aliis ſuccedunt. Senſilis enim ſubſtantia, cujuſmodi eſt humana Mens, perinde verſatilis ſit oportet, atque objectis afficitur.

III.

III. Senſus, perceptio, & cognitio per actionis & reactionis conflictum abſolvitur, docente Hobbeſio. 1. Hujuſmodi conflictus non eſt niſi reciprocus nervorum cerebrique motus. Atqui motus ex oſtenſis non eſt cogitatio, neque cogitationem efficere valet. Ergo.

2. Ad haec ſi Hobbeſianus conflictus ſenſum in nobis cieret, eo interveniente ſenſatio obtineret. Atqui ſaepe fit, ut nullo ſenſu afficiamur, quamvis conflictus ille cerebrum inter ac nervos ex objectorum appulſu excitetur. Ergo. Nimirum cum *peregre eſt animus ſine corpore velox*, ut ille ait, mens ſcilicet alio intenta eſt, nullos externarum rerum ictus ſentimus.

3. Poſito Hobbeſii ſyſtemate, plures eodem temporis veſtigio ſenſationes haberi nequeunt. Atqui id experientiae adverſatur. Ergo. Majorem propoſitionem Hobbeſius ipſe ultro dat, & apte probat. *Plures res*, ait ipſe (*a*) *ſimul ſentiri non poſſunt; dum enim organum movetur non ita ab alio moveri poteſt, ut ab utroque motu unum phantaſma oriatur utriuſque*. Minorem vero negare non poteſt, niſi experientiae contradicere velit. Nobis enim ipſi conſcii ſimus, quod ex. gr. uno eodemque temporis veſtigio loquentis voces audimus, ejuſque vultum geſtusque videmus, odorem aliquem haurimus, ſoli duritiem experimur, caeli intemperiem ſentimus, alicujus membri dolore afficimur &c.

IV. Nullus Judicio locus in Hobbeſii ſyſtemate relinquitur. Ipſe enim docet, quod per phanta-

(a) *Element. Philoſoph. Part. IV. Cap. XXV.*

taſmata de rebus objectis judicamus, ea diſtinguendo & comparando. Phantaſmata autem exſiſtant ex actionis & reactionis conflictu. Igitur ad judicium inſtituendum oportet, ut uno eodemque temporis veſtigio duo exſiſtant in ſentiente conflictus. Atqui id fieri non poſſe docet Hobbeſius. Ergo.

Quod vero Helvetium ſpectat: is quidem I. in eo peccat, quod idearum originem ex phyſica ſenſibilitate unice repetat. Haec enim, ipſo docente, ſita eſt in facultate rerum externarum ictus ſuſcipiendi. Haec porro non eſt, niſi facultas, qua hominis corpus certa quadam modificatione afficitur. Atqui iſthaec humani corporis partium temperatio, quae ex objectorum ictibus in ſenſus proficiſcitur, non eſt idea, nec perceptio, nec cogitatio. Haec una igitur facultas quacunque alia virtute nudata immenſam idearum vim nunquam homini comparabit.

II. In medio relinquit Helvetius, num quod in homine ea facultate exornatur, ſimplex ſit, an vero corporeum. Modeſtiam ipſius laudabimus, an affectatam Scepticorum ἐπόχην (*haeſitationem*) redarguemus? Utrumque enim e medio tollit Helvetius, & praeter aſpectabile corpus nihil in homine admittit. Phyſicam ſenſibilitatem unice praedicat: quam novo vocabulo ad Helvetii mentem expreſſo humani corporis *modificabilitatem* recte dixeris.

Et ſane quod in priori Opere ſubobſcure indicaverat, in Opere poſthumo, cum nihil ſibi timendum erat (ut in Praefationis exordio ait) diſertis verbis aperuit. Quam phyſicam ſenſibilitatem

tatem prius dixerat: eam deinde nihil aliud eſſe docet, niſi effectum ſtructurae & temperationis organicarum partium, unde hominis corpus coaleſcit. [a] Hanc porro animae loco eſſe in homine ſtatuit. Aſpectabile igitur corpus, ejusque ſibi mutuo reſpondentium partium coagmentationem in homine Helvetius deprehendit, praeterea nihil. Quae igitur in priori Propoſitione argumenta produximus Helvetium refutant.

III. Tum memoriam, tum judicium in phyſica ſenſibilitate conſtituit Helvetius. Reminiſcimur quidem, ipſo docente, cum rerum objectarum imagines iterum nobis ipſi veluti depictas repraeſentamus, unde fit, ut interiora ſenſus organa afficiantur juxta, ac ſi res ipſae in extimum ſenſum incurrerent. Atque hinc memoriam eamdem ac ipſam ſenſationem eſſe colligit. Atqui 1. quamplurima in memoriam revocamus, quorum imagines neque iterum effingimus, neque effingere licet. Nihil igitur commune habent ſenſatio & memoria.

2. Nobis ipſi conſcii ſumus valde inter se diſtare actum illum, quo res objecta in ſenſus offendentes ſentimus, ab eo, quo earumdem reminiſcimur. Eſt igitur aliquid diſcriminis ſenſationem inter ac memoriam.

3. Unde fit, ut objectarum rerum imagines iterum in cerebro ſuſcitentur? Ex idearum ſerie ſive nexu, aut concuſſione, quam in auribus ciet

[a] *Vide adnotationem ad paginae oram appoſitam ad extremum Caput II. prioris Partis* De l'Homme.

emiſſae vocis ſonus, docet Helvetius (a). Atqui ideae, eodem auctore, ex phyſica ſenſibilitate nobis obveniunt; ſentimus igitur, cum illae nobis obverſantur. Ergo nulla erit memoria. Fortaſſe ideae in cerebri ſinibus incluſae, aut fibrarum plicis affixae detinentur. Ipſas igitur prius ſuſcitare oportet, ut interius ſenſorium afficiant. Ergo idearum ſeries, ſeu nexus quem comminiſcitur, in cauſſa eſſe nequit, cur rerum imagines in cerebro iterum producantur.

Quod vero de vocis ſonitu addit Helvetius, quammaxime rarum & novum eſt. Nimirum nervi acuſtici concuſſio ejuſmodi affectionem cerebro inducit, qualem exciverunt res objectae, cum quoſcumque extimos ſenſus primum perculerunt. Novum hoc aurium munus Phyſiologis omnibus ignotum Helvetio debemus.

IV. Quod vero judicium ipſa ſit ſenſatio, pluribus probare contendit Helvetius. Unum duntaxat animadvertiſſe ſit ſatis. Judicium, ut ipſe ait, in eo verſatur, ut ideae aut ſenſationes inter se comparentur, quo ipſarum convenientia, aut diſcrepantia deprehendatur. Hujuſmodi relatio-

(a) *Ipſius verba proferre juvat, ne alienum ab illius mente ſenſum iis affingere videamur*. Lorſque par une ſuite de mes idées ou par l'ébranlement, que certains ſons cauſent dans l' organe de mon oreille, je me rappelle l'image d'un chêne; alors mes organes intérieurs doivent neceſſairement ſe trouver à peu près dans la même ſituation, où ils étoient à la vue de ce chêne. *Haec ille in opere* de l'Eſprit Diſc. I. chap. I.

tionis perceptio ſi eadem eſt, atque ipſa ſenſatio, duo ſtatuantur oportet: 1. quod quaevis duorum objectorum ſenſatio ſit judicium. Atqui id repugnat interiori conſcientiae. Ergo. 2. Quod judicium ab ipſo ſentiente edatur. Atqui praeter phyſicam ſenſibilitatem, h. e. humani corporis partium ſtructuram, nihil eſt in homine Helvetii ſententia. Igitur organis ipſis ſenſoriis, aut cerebro judicium eſt adſcribendum. Atqui id prorſus repugnare oſtendunt argumenta in I. Propoſ. num. II. fuſe diſputata.

Meriannus ultimo loco refellendus ſupereſt. At jam in Hobbeſio atque Helvetio proſtratus jacet. Actuum intellectualium quas tradit definitiones breviter perluſtremus.

I. Senſum in nobis non ciet objecti duntaxat appulſus ad organa ſenſoria, & quae inde oritur cerebri concuſſio. Id enim omne phyſicam, ut ita inquam, ſenſationis partem conſtituit.

II. Conſcientia comitatur ſenſationem aeque ac ceteras quaſcunque actiones & paſſiones. Eam in cerebri concuſſione ſitam eſſe docet Meriannus. Atqui 1. ineptiſſimam id praeſefert tautologiam, ſive potius vitioſa circuitione laborat. Concuſſio enim, cujus cerebrum conſcientiam habet, conſcientiam conſtituit. Quo ſane recidit Merianni definitio.

2. Cerebri concuſſio, quae proficiſcitur ex objectorum appulſu in extimos ſenſus, diverſa ſit oportet ab ea, in qua conſcientiam conſtituit Meriannus. Non modo enim me ſentire, verum etiam meae ſenſationis mihi conſcium eſſe experior. Conſcientia igitur ſi motus eſt, nulla erit ipſius motus cauſſa.

3. Meriannum ita conſcientiam definientem ſibi ipſum repugnare quis non deprehendit? Cum enim nervis libera eſt ad cerebrum via, motus ipſis ab objectis communicatus ad cerebrum uſque diffunditur. Ibi igitur ſemper determinata oritur concuſſio. Atqui non ſemper ſenſationis cerebrum conſcium eſſe fatetur ipſe Meriannus. Hinc docet cieri ſenſum, cum organorum impreſſiones cerebrum diſtinguere valet. At qua arte diſtinguit? Ex determinata ſive diſtincta concuſſione, ait Meriannus, in qua conſcientia ſita eſt. Fieri igitur nequit, quin ſemper diſtinguat, ac propterea ſentiat cerebrum; nam concuſſio in cerebro ſemper cietur. Itaque haud ſibi conſtat Meriannus.

III. Cerebri concuſſiones tum ſenſationes, tum perceptiones, tum ideas eſſe docet Meriannus: ſenſationes quidem, ſi in ſeipſis inſpiciantur, perceptiones, cum eas cerebrum advertit: ideas tandem, cum eas ad res exteriores, unde concuſſio excitata eſt, cerebrum refert; ſunt enim illarum imagines.

Perceptionem, quam heic pro conſcientia accipit, in ipſa cerebri concuſſione conſtituere Meriannum jam vidimus. At unde fit, ut concuſſionem, qua cerebrum afficitur, ad rem objectam referat, reique ipſius ſibi notionem exprimat? Silet id Meriannus. Eſt enim ſuperandum immenſum intervallum, quod inter nervorum cerebrique concuſſionem, & rei objectae ideam intercedit. Profecto rei objectae idea nihil admittit, quod modificationum ſive ſenſuum ſive cerebri aliquam ſpeciem habeat.

IV. Cogitationem in perceptione modificationum,

num, quibus cerebrum afficitur, conſtituit Meriannus. Reclamantis experientiae querelis illum obſurduiſſe oportet. Cerebri enim modificationes in eo verſantur, ut ipſius medulla ex nervorum oſcillatione, aut ſucci nervi impulſione concutiatur, aut comprimatur. Atqui hujuſmodi effectus nihil ſentimus aut percipimus. Itaque ne umbra quidem cogitationis in cerebri modificationibus eſſe poteſt.

Heic autem Meriannum ſibi ipſum repugnantem advertere praeſtat. Ipſe enim pluries docet nullam in rerum univerſitate ſpontaneam eſſe actionem, neque ens quodpiam propria energia modificari. Atque hinc hominem libertate omnino deſtitui definit. Idem autem eam cerebro virtutem adſcribit, qua nulla extrinſecus cauſſa accedente modificationes propria vi in ſeipſo producat, praeteritas ſuſcitet, & novas ex praeteritis effingat. Nihil igitur ſibi conſtat Meriannus.

V. Riſum porro excutit Meriannus, cum cerebrum in ſeipſum reflecti adſerit, ut ſuas contempletur modificationes. Cerebrum ne in cerebellum reflectitur, an medulla in ſubſtantiam corticalem, an vero corpora ſtriata in corpus calloſum? Hanc totius corporeae ſubſtantiae in ſeipſam reflexionem ne comprehendi quidem poſſe ſuperius advertimus.

VI. Judicium cerebro adſcribit Meriannus. At in quo cerebri ventriculo, veluti in propria officina, perficiatur, affectato ſilentio praeterit. Quae enim erit in cerebro duarum modificationum relatio? Motus profecto e duabus diverſis motionibus compoſitus, nam e motu cerebri mo-

dificationes proficiſcuntur. Judicium igitur peculiaris quaedam erit cerebri motio. Nugae.

VII. Ceteras Merianni definitiones qui legit, is profecto intelligit, illum nihilo plus agere, quam ſi det operam, ut cum ratione inſaniat. Et ſane 1. quae erit iſthaec cerebri diſpoſitio ad corporis organa movenda, in qua voluntatem ipſe conſtituit? *Velit*, ex. gr. *Rex, ut ſui exercitus dux praelium cum hoſte committat*. Meriannus quidem ita rem explicabit: *Regis cerebrum praeſto eſt ad corporis organa eo pacto movenda, ut victoriam ſibi comparet; propterea quod corpus illius apte & convenienter propriae naturae afficitur a victoria*. En ipſiſſimam Merianni definitionem.

2. Si porro ſciſcitemur Meriannum, quidnam ſint noſtri animi paſſiones, eas eſſe reſpondet, cerebri affectiones, prout illud ab objectis attrahitur ac repellitur. Hinc igitur eſt, quod iraſcimur, ſi quis conviciis nos laceſſat; contumeliae enim cerebrum repellunt. Contra vero aliquem de nobis optime meritum amore proſequimur; propterea quod ab illius beneficiis cerebrum attrahitur: atque haec attractio minuitur vel augetur, prout eſt ratio inverſa quadratorum diſtantiae. Pellantur iſtae aniles ineptiae: & Meriannum ſatis ſua ſponte inſanire jubeamus.

Objectiones diluuntur.

OBjicitur I. Eo reſpicit tota vis argumentorum, quibus humana Mens ſimplex adſeritur, quod nimirum cogitatio materiae repugnat. Atqui nihil vetat, quominus cogitandi vim materiae

riae Deus adjungat. Ergo temere humanae Menti ſpiritualitas vindicatur.

Minorem Propoſitionem pluribus probare olim conatus eſt Joannes Lockius adverſus Stillingfletum. Ipſius argumenta Scholarum more propoſita ad haec capita revocantur.

1. Si qua proprietas materiae adjungatur, haec illius eſſentiam haud deſtruet,. dummodo materia ea proprietate exornata adhuc ſolida & extenſa perſeverat. Atqui cogitandi facultas materiae addita, illius extenſioni ac ſoliditati non officit. Ergo. Prob. Minor: Vegetatio in plantis, ſenſus in Brutis materiae eſſentiam non deſtruunt. Atqui tum vegetatio tum ſenſus ſubſtantiae extenſae ac ſolidae conditionem prorſus excedunt. Quamvis igitur cogitatio in materiae eſſentia non comprehendatur, illam tamen minime deſtruit.

Reſpondeo 1. ex iisdem Lockii principiis recte colligi, quod ſi cogitatio materiae adjungatur, illius eſſentiam evertat. Superius enim allata argumenta demonſtrant, extenſione ac ſoliditate materiam exſpoliari, ſi cogitatio ipſi addatur.

Neque ad rem faciunt, quae de vegetatione in plantis, & ſenſu in brutis animantibus addit. Nihil enim commune habet vegetatio cum cogitatione: neque illa materiae conditionem excedit; ſed ipſius propria eſt ac peculiaris. Oritur enim ex certa quadam partium plantarum fabricatione, & ſucci, unde aluntur, perenni circuitione. Motu igitur & dilatatione partium tota abſolvitur. Quod vero ad brutorum ſenſum attinet, mox diſputabitur.

Reſp. 2. Lockius fatetur materiae eſſentiam cogitandi facultatem non complecti: idem tamen contendit inter materiae proprietates locum habere poſſe. Heic autem ſibi ipſe contradicit. Subſtantiae enim proprietates, ſive qualitates, ſive facultates non ſunt, niſi modificationes eſſentiae ipſius ſubſtantiae: h. e. res ipſa eo pacto, ea τῦ εἶναι (*eſſendi*) ratione modificata. Quod ſane Lockius ipſe docet, ut qui *formas ſubſtantiales* veluti putida Scholaſticorum commenta explodit. Igitur qui tribuit materiae proprietatem, quae ſubſtantiae ſolidae atque extenſae non eſt modificatio, illius perimit eſſentiam.

Reſp. 3. Cogitandi facultatem non cuique materiae, ſed certae cuidam materiae portioni certo quodam modo temperatae Deum adjungere poſſe tuetur Lockius. Cogitandi igitur facultatem in ipſa materia inſitam negat Lockius: eam ex temperatione partium repetit. Atqui abſurdus eſt, qui partes non cogitantes utcunque compoſitas & modificatas cogitationem efficere ſtatuit. Fieri igitur nequit, ut cogitandi facultatem materiae Deus adjungat.

2. Materiae cogitandi vim a Deo adjungi non poſſe propterea ſtatuitur, quod nobis aſſequi non liceat, quemadmodum materia cogitare poſſit. Atqui Dei potentiam limitibus coërcet, qui ea Deum praeſtare poſſe negat, quae noſtram ſuperant intelligentiam. Ergo. Et ſane ſi ratiocinari ita fas eſſet; plura forent, quae Dei potentiae non ſubjicerentur. Ita ex. gr. deprehendere nobis non licet, quo pacto corpus aliud longe poſitum attrahat: qua ratione ſentire, ſeſe mo-

ve-

vere, ſpiritualem ſubſtantiam afficere, & ab eadem moveri poſſit materia. Inde igitur concludendum eſſet hujuſmodi facultates materiae Deum impertiri minime poſſe. Qui autem ita ratiocinatur, is negat Planetarum circa Solem converſiones, bruta ad machinarum conditionem redigit, atque hominem ſenſu, motuque voluntario ſpoliat. Ergo pari ratione fieri poſſe dicendum eſt, ut cogitandi facultatem materiae Deus impertiatur: quamvis incompertum ſit, quo pacto illa cogitare poſſit.

Reſpondeo, argumenta quibus humana Mens incorporea adſeritur, haud recte Lockium aſſecutum eſſe; vel ſaltem illa ita ab adverſariis ipſi propoſita fuiſſe, ut acriorem curam, diligentiamque deſiderarent. Id enim ſibi perſuaſit Anglus iſte Philoſophus, materiae cogitandi vim propterea a nobis abjudicari, quod minime comprehendamus, quo pacto materia cogitare poſſit. Haec autem opinio ipſum falſum habet. Quod enim inter materiae proprietates, & cogitationem tantum intereſſe diſcrimen evidenter percipimus, ut ſi una componerentur, aliae aliam ſubverterent: idcirco cogitationem materiae repugnare pronuntiamus.

Atque hinc eſt, quod ne divinae quidem potentiae imperio corpoream ſubſtantiam cogitare poſſe tuemur. Ipſo enim monente Lockio divinae potentiae tribui nequit, ut ſubſtantia quaelibet ſolida ſit, atque eadem penetrabilis. Atqui materiam οὐσιωδῶς (*eſſentialiter*) ſolidam cogitatio omnino penetrabilem poſtulat: ut abunde ſuperius demonſtravimus. Lockio igitur auctore divinae potentiae opus non eſt, ut materia cogitet.

Quae

Quae cum ita ſint, a propoſita quaeſtione longe diſtare patet, quae addit Lockius. Ea enim, utpote *argumenta*, ut ajunt, *ad hominem*, nihil nobis negotii faceſſunt, quibus alia omnino ab ea, quam falſo ſupponit, ſedet in animo ſententia. Verum ut ipſius objectionibus locus detur, unum aut alterum addimus.

Et 1. quod ad attractionem ſpectat: Newtoniani cum adverterint ex innumeris phaenomenis materiae partes quibusdam determinatis legibus ad se mutuo tendere, vim quamdam attrahentem ipſi Deum addidiſſe ſtatuerunt. Eam igitur veluti legem a ſapientiſſimo Creatore conſtitutam conſiderant, qua veluti quodam circumdato vinculo univerſae naturae ſyſtema continetur. Num autem vis iſthaec ſingulis materiae partibus inſita a Deo fuerit, & cujuſmodi ea ſit; id equidem nobis latet: quemadmodum ipſius motus natura incomperta eſt. Id autem nihil Lockio ſuffragatur; reciprocam enim corporum gravitatem experimenta ſuadent. At de hoc argumento in Phyſicis Inſtitutionibus.

2. Miramur Lockium in logicis verſatiſſimum heic principium petere. Materiam enim ſentire pro explorato habet. Si ſenſus nomine certam quamdam organicarum partium affectionem ab externarum rerum ictibus inductam intelligit; eam in materia locum habere poſſe perſpicue deprehendimus. At ſi perceptionem accipit, quae inde conſequitur: in quam ſane ſententiam ipſe loquitur: principium petit Lockius. Id enim quaeritur, num cogitatio, cujus ſpecies ſenſus eſt, materiae adjungi poſſit. Quamobrem ſi in

bru-

brutis nihil praeter corpus Lockius admittat, neque ſenſus, neque motus, ut ajunt, ſpontaneus in illis erit.

3. Ultro concedimus difficilem nobis occurrere cogitationem, quo pacto hominis Mens & corpus ſeſe mutuo afficiant. Id autem potiſſimum ex eo proficiſcitur, quod immediatam quamdam utriuſque ſubſtantiae actionem, ſive *phyſicum*, ut ajunt, *influxum* vulgo concipimus. Atqui id Philoſophorum diſputationibus agitatur: neque certo definiri poteſt. Nihil igitur inde in ſuam rem derivare Lockius poteſt. Verum hoc ſuo loco diſcutietur.

Tandem 3. opponit Lockius. Nemo unus negaverit poſſe Deum ſubſtantiam creare, cui nullas agendi vires praebeat. Finge igitur duas a Deo ſubſtantias creari, incorpoream unam, extenſam ac ſolidam alteram, utramque omni vi activa deſtitutam: profecto nihil Deum prohibere poteſt, quominus ipſarum alteri facultatem tribuat, quam alterutri communicet. Nulla igitur adeſt ratio, cur cogitandi facultatem corporeae ſubſtantiae tribui poſſe negetur.

Reſpondeo. Si facultatis nomine ens aliquod ab ipſo ſubjecto diſtinctum Lockius intelligat; nemo unus negaverit hujuſmodi facultates cuicunque ſubſtantiae poſſe conjungi. At ſi facultates ipſius ſubſtantiae modificationes ſunt, cujuſmodi Lockius ipſe admittit; fieri nequit, ut extenſa ac ſolida ſubſtantia facultate ornetur, quae cum extenſione, ac ſoliditate pugnet. Ceterum Lockii hypotheſim falſam eſſe advertimus. Incorporea enim ſubſtantia eſſe nequit, quae vita, ſenſu, atque intelligentia careat.

Ob-

Objicitur II. Nulla ſenſationem inter, & cogitationem affinitas intereſt. Quid enim *coloris* viſio cum idea *injuſti* commune habet? Atqui nihil diſcriminis inter ſubſtantiam ſentientem, & cogitantem agnoſcunt Philoſophi. Neque igitur diſtat ſubſtantia cogitans ab extenſa: quamvis nulla extenſionem inter, & cogitationem analogia intercedere deprehendatur. Quo quidem argumento concludi poſſunt, quae protulit Cl. Alembertius in ſuis *Explicationibus ad Elementa Philoſophiae* (*a*).

Reſpondeo 1. Major Propoſitio diſtinguenda eſt: nulla ſenſationem inter & cogitationem analogia deprehenditur, ſi utriuſque facultatis objecta comparentur; concedo: ſi actus inſpiciantur, nego. Profecto nihil inter ſe commune habent ſenſationis, & cogitationis objecta. Neque enim lux, ſonus, odor cum juſti, injuſtique notione, cum trianguli, quadratique idea mutuam ſervant analogiam. At ſi attendas actus, ingens eſt inter ipſos proportionis communitas. Quemadmodum enim *injuſti* cogitatio Mentis eſt attentio ad injuſti ideam, quam ſibi cudit: ita & *coloris* ſenſatio non eſt, niſi ejuſdem Mentis attentio ad motionem, quam radii lucis e corporum ſuperficie reflectentes in cerebro cient.

2. Eſto nulla ſit inter objecta proportio. Haud propterea fas erit hinc colligere diverſas eſſe ſubſtantias, ad quarum facultates hujuſmodi objecta pertinent. Quae enim excogitari poteſt odorem inter, & ſonum proportio? Atqui *olfacere*, atque *audi-*

(a) *Melanges de Litterature T. V.*

audire diverſae ſunt ejuſdem ſentiendi facultatis rationes.

3. Iſthaec, quae exquiritur, analogia non inter actus, ſed inter proprietates verſari debet. Id enim ſupra laudatus Vir quaerit, num inter cogitationem atque extenſionem, quae ſunt duarum ſubſtantiarum proprietates, aliqua interſit proportio. Quorſum igitur cogitationis, & ſenſationis actus expendit?

4. Cujuſcunque rei proprietates non eſſe, niſi modos ac rationes, quibus illa exſiſtit, jam diximus. Atqui facultates cogitandi, ac ſentiendi unius ſimplicis ſubſtantiae modos eſſe poſſe inde patet, quod & cogitans, & ſentiens *Unum* ſit ipſa conſcientia clamante. Verum extenſio ſimplicis ſubſtantiae modus eſſe nequit; quippe ea partes extra partes prae ſe gerit, & compoſitum aut facit, aut poſtulat.

5. Ipſum propoſiti argumenti fundamentum titubat & ſua ruit mole. Id enim pro explorato habetur, propterea nimirum Mentem a materia longo intervallo diſtare, quod nulla cogitationem inter, atque extenſionem deprehendi poſſit analogia. Atqui non analogiae defectu, ſed vi potius ἀντιλογίας (*repugnantiae*) diſcrimen utriusque ſubſtantiae arguimus. Vehemens enim illa cogitationis, atque extenſionis repugnantia, quam qui non vident, nihil profecto ſapiunt, in cauſſa eſt, quamobrem Philoſophi contraria, & diverſa eſſe cogitationis, atque extenſionis ſubjecta merito tuentur.

Atque heic mirari ſubit, cur haec Pariſienſis Philoſophi animadverſio Auctori *Ephemeridis litera-*

terariae (quae ſingulis menſibus *Curiae Rhaeto-rum* aliquot ante annis in lucem prodibat) nova videatur , & magnifico laudum apparatu proponatur . Id enim Lockium Stillingfleto jam objeciſſe modo vidimus , quod quamvis nihil affinitatis inter cogitationem, atque extenſionem aſſequi nobis liceat, eam tamen huic repugnare colligendum non eſt. Adeo magnum in Litterarum Republica nomen imponit!

Objicitur III. Bruta animantia aliquo cogitationis genere praedita eſſe ipſae, quas obeunt illa, actiones aperte demonſtrant. Atqui cujuſmodi ſit cogitationis principium in Brutis , corporeum ne , an ſpirituale, Philoſophi certant , & adhuc ſub judice lis eſt . Ergo humanae Mentis ſimplicitas ex cogitationis, & materiae repugnantia non recte colligitur .

Reſpondeo. Quamvis nihil certi de animorum natura, quibus bruta gaudent animantia, definiri poſſit ; quidquid tamen de ipſis ſtatuatur , non eſt quod noſtrae Mentis ſimplicitati vel parum officere poterit . Celebriores enim , quae inter Philoſophos de Brutorum anima verſantur opiniones , tres ferme ſunt . Ariſtotelici ſenſitivam quamdam animam brutis adſcribunt , qua nimirum ſentiunt res externas, quae ad ſenſuum organa offendunt . Carteſiani vero, qui omni cognoſcendi facultate bruta deſtitui arbitrantur, inter puras machinas ſenſu vacuas ea recenſent . Plerique tandem Recentiores non modo ſentiendi, percipiendique facultatem brutis attribuunt , verum etiam ipſorum animas ἀσωμάτως καὶ ἀΰλως, *corporeae concretionis expertes* eſſe contendunt .

Jam

Jam porro, qui 1. brutorum animam corpoream eſſe exiſtimant: hi quidem neſcio quam *materialem* cognitionem duntaxat in ipſis locum habere pronuntiant. Atque hoc pacto humanae Mentis ſimplicitati ſatis conſulere ſibi videntur. Beſtiarum enim cognitio longo intervallo a Mentis cognitione diſtat. Illae quidem corporea duntaxat, concreta, & ſingularia attingunt: haec vero incorporea, abſtracta, atque univerſalia intelligit. Atque hinc eſt quod brutorum anima corporea, humana vero Mens a corpore libera ſit.

2. Carteſianorum opinio licet brutis iniqua, humanae tamen Menti perhonorifica eſt. Nihil enim bruta cum hominibus commune habent, ut inde Mentis dignitas offendi poſſit.

3. Quod ſi brutorum animas corporis expertes eſſe ſtatuamus; tantum abeſt, ut Mentis humanae ſimplicitati derogetur, ut etiam magis, magiſque illa affulgeat. Tale enim eſt diſſidium cogitationem inter, & materiam, ut ſi illa in brutis obtineat, omnino oporteat, cogitationis principium in ipſis prorſus eſſe incorporeum. Ex quo ſane efficitur, humanam Mentem, quippe quae cogitat, ab omni materia liberam eſſe.

Heic autem quaeret fortaſſe quiſpiam, quidnam veriſimilius de Brutorum anima ſtatui poſſit. Id equidem definire arduum eſt: & quae hactenus protulerunt Philoſophi, ſua quaeque patiuntur incommoda. Verum ut unuſquiſque per ſe ipſe inter varias ſententias dijudicare poſſit, nonnulla breviter adnotabimus.

I. Brutis ſenſum ineſſe, & rerum corporearum per-

perceptionem, tum quotidiana docet experientia, tum quae inter ipſorum, & noſtras actiones intercedit analogia ſuadet.

I. Ea mera eſſe αὐτόματα (*machinas verſatiles*) quae vi μηχανήματος moventur, omni vita & ſenſu deſtituta, levis eſt, ne dicam, inepta ſententia. Neque enim 1. quod hujusmodi machinas conſtruere Deus poſſit, quae hominum actiones aemulentur, ſequitur reipſa tales effeciſſe. Ita ſane fas eſſet inferre hominum corpora cognoſcendi principio carere, & prorſus vacua eſſe.

2. Nemo inter αὐτόματα recenſebit, quae motionibus ſpontaneis pollent. Atqui Bruta quotidie e ſomno ſurgunt: dum ambulant, modo conſiſtunt, modo ſegnius, aut velocius incedunt, modo hac, modo illac diſcurrunt. Niſi igitur ipſis inſita ſit vis, qua ſurgant, & moveantur; profecto iners materia a quiete ad motum ſuapte natura excitabitur.

3. Rerum externarum effluvia in cauſſa eſſe nequeunt, quamobrem in brutorum machinis motus oriatur, vel illius directio mutetur, vel penitus cohibeatur. Tanta non eſt ipſorum vis, ut diverſas in brutis motiones producant. Quis crederet, tenuem ſibilum, aut exiguum incenſi pyrii pulveris fragorem, aut venatoris aſpectum concitatiſſimum volatum in immenſam volucrum catervam immittere poſſe?

III. Cognitionem, quam brutis attribuunt ipſi Peripatetici, *materialem* appellare, idem ſane eſt, ac confuſis vocabulorum ambagibus res involvere. Quid enim erit materialis iſthaec cognitio? Num eadem, ac motio in brutorum ſenſibus

a re-

a rebus externis excitata? An vero erit affectio quaedam materialis animae ipſorum? Illud equidem negabunt Scholaſtici; ita enim bruta inter puras machines erunt recenſenda. Sin poſtremum admittant; cogitationem in materia locum habere fateantur oportet. Fundamenta igitur, quibus humanae Mentis ſimplicitas ſuperſtruitur, prorſus convelluntur.

Neque ſibi perſuadeant Scholaſtici ſe ſatis valide Mentis ſimplicitatem tueri poſſe propterea, quod & ſpiritualium rerum cognitionem illam habere oſtendunt. Id enim probat, hominum, & brutorum perceptionem eo duntaxat pertenui diſcrimine ſeparari, quod una ſpirituale objectum, altera materiale attingat. At non oſtendit hujus perceptionis ſubjectum materiae expers eſſe: quo uno urgeri, atque ad incitas redigi poſſunt Materialiſtae.

Quod ſi brutorum cognitionem materialem appellant, quod illa corporea duntaxat objecta percipiant: id non arguit materialem eſſe ipſorum animam. Arguit enim, quod brutorum cognitio *objective*, ut cum Scholaſticis Scholarum more loquamur, ſit materialis, non autem *ſubjective*: quod idem eſt, ac ſi dicas, objecta a brutis cognita eſſe corporea, ſubjectum vero ea apprehendens non eſſe corporeum. Nam ne ipſi quidem Scholaſtici humanae mentis perceptiones, quae circa res corporeas verſantur, alio ſenſu materiales appellare audebunt.

Neque huic materiali cognitioni aliquid ſuffragatur nova Cl. Buffonii opinio, licet ſit Scholaſticorum vetus fuco delinita. Hic enim nu-

perrimus naturae ſcrutator bruta animantia per ſenſum tum exteriorem, tum potiſſimum interiorem, quo exquiſitiſſimo ipſa praedita ſunt, res objectas ſentire arbitratur. Docet quidem (*a*) duplicem materialem ſenſum diſtinguendum eſſe, alterum interiorem, cerebrum ſcilicet, exteriorem alterum, nimirum externa ſenſuum organa. Senſum interiorem tum hominibus, tum brutis communem eſſe ait: verum eo diſcrimine ſeparari docet, quod in homine a Mentis nutu omnino pendet, nihilque ille molitur, niſi quod haec jubeat, ſive non prohibeat; ita quidem, ut inſtrumenti partes agat: in brutis vero principium eſt, quod omnes motus & actiones determinat.

Ut autem intelligatur, quo pacto hujusmodi ſenſus in brutis ſit motuum omnium origo, Buffonium ipſum audire praeſtat, dum certos limites ſtatuit, ad quos uſque ſenſus hujus vis & facultas extenditur. Senſus iſte materialis, ipſe ait, impreſſiones omnes, quas ipſi exteriora organa transmittunt, aeque excipit. Hujusmodi autem impreſſiones, quae ex objectorum actione oriuntur, per ſenſus exteriores, ubi momentariam duntaxat motionem excitant, liberum ſibi aditum aperiunt, atque in interiori conſidunt: & in cerebro, quod hujuſce ſenſus eſt organum, ſtabiles & diſtinctas producunt concuſſiones. Porro ſi hujuſmodi concuſſiones fuerint jucundae, h. e. brutorum naturae conſentaneae, appetitum gignunt; ſin ingratae, h. e. ipſorum naturae contrariae, faſti-

[a] *Diſcours ſur la nature des Animaux*, T. VII. *Hiſt. Natur.*

faſtidium producunt. Atque ita cerebro in nervos agente animal movetur.

Haec ſumma eſt opinionis Buffonii, quae, ſi novum quemdam verborum apparatum e medio tollas, ne latum quidem unguem a Scholaſticorum ſententia diſcedit. Eadem igitur argumenta, quae materialem animam ſentientem impugnant, & materialem ſenſum Buffonii convellunt. Si enim ſenſus nomine corporeum organum intelligit, excipiendis externarum rerum impreſſionibus accommodatum, eo & bruta, & homines exornari nemo negat. Sin autem ſenſationem ipſam, quae ex hujuſmodi impreſſione cerebro communicata proficiſcitur: hoc ſcilicet eſt, in quo a veritate longe aberrat Buffonius. Senſus enim non eſt motus duntaxat ſenſibus, & cerebro communicatus, ſed ſimul Mentis ad motum attentio, ejuſdem perceptio, & cogitatio. Cum igitur cujuſcunque rei ſenſatio ſine cogitatione fieri nequeat: quemadmodum materiam cogitare, ita & ipſam ſentire repugnat. Eoſdem igitur ſcopulos, ad quos impingunt Scholaſtici, offendit Buffonius.

IV. Si igitur Bruta ſentiunt, percipiunt, cognoſcunt, appetunt, & averſantur; aliquod ipſis ineſſe, quod omnino incorporeum ſit, colligere nobis fas erit. In materia enim, ſi receſſeris a magnitudine, figura, ſitu, motu, & quiete, nihil deprehendes praeterea: haec autem juncta inter ſe, & compoſita nullo pacto cogitationem efficere poſſe evidenter percipimus.

V. Quamvis Brutorum anima ἄυλος [*incorporea*] ſtatuenda eſſe videatur, quippe cognoſcendi facultate ea praedita ſunt: immane tamen inter

hominum, atque ipſorum animas intercedit diſcrimen.

Nam 1. Bruta res duntaxat corporeas attingunt: at ſtupida prorſus ſunt circa ea, quae hujusmodi rerum cognitionem excedunt. Ea enim iis duntaxat intendere videmus, quae ad victum vitaeque conſervationem attinent. Nihil autem deprehendere licuit in brutis, quod rerum ſenſibilium cognitionem praetergrediatur.

2. Ea praeſentia tantum ſentire, non autem longinqua, aut futura proſpicere videmus. Neque enim futurorum praeſenſio beſtiis tribuenda eſt, quod ipſarum nonnullae caeli inſtantem tempeſtatem, & ingruentem imbrem proſpicere videantur. Nam ipſae exquiſitiſſimo ſenſu praeditate ſunt: ita quidem, ut caeli intemperie citius ac vehementius, quam homines, afficiantur.

3. Singulas in ſingulis, quas unice obeunt actiones, totas occupari beſtias deprehendimus. Hinc ſi induſtriam quandam in aliquo artificio praeſeferre videntur, in reliquis tardae ſunt, & prorſus ineptae.

4. Nonniſi paucas admodum rerum relationes, quae per ſe ipſae conſtant, percipiunt: at de rebus ipſis corporeis nullo pacto ratiocinantur. Exploratum enim eſt, cujuscunque generis animalia eodem ſemper modo operari, eademque facere; nihil novi moliri, ſed cum primum vivere inceperint, ea aggredi, in quibus alia ejusdem generis occupantur; nihil tandem majoribus ſuis excellere, neque ipſis filios praeſtare, atque nepotes.

V. At enim hujusmodi Brutorum animae finem

nem ne habiturae ſunt, an vero perennes vivunt? Si perennes, quid de ipſis fiet? Si autem intereant, incerta quidem erit humanarum Mentium immortalitas.

Ex his quidem difficultatibus nonnulli paucis sese expediunt; ſuo enim conſtare auctori ajunt, quem illae conſecuturae ſint exitum. Alii vero eas interire negant, ſed corporibus ſuperſtites eſſe ſtatuunt. Nihil quippe vetat, quominus brutorum animae diſſipatis corporibus ſine vi, ſine ſenſu, ſine vita, ſempiterno quodam ſomno, & ſilentio conſepultae permaneant. Illaę enim judicio, ac ratione non valent, ſed res corporeas duntaxat ſentiunt, ac percipiunt. Licet igitur corporibus ſuperſint, in eo tamen ſtatu tum ſentiendi, tum agendi facultatis expertes erunt. Humanae enim Mentes tamdiu res externas ſentiendi virtute pollent, quamdiu corporis conſuetudine utuntur, & corporibus ſuperſtites cogitando vivunt. At brutorum animae in corporibus, quibus conjunguntur, ſentiendi duntaxat munus obeunt; ubi igitur corpora reliquerint, omni ſentiendi, agendique vi exſpoliatae ſtupidae prorſus & impotentes conquieſcunt.

Eſto autem perennes ſint brutorum animae; ipſarum fatum curioſius, quam par eſt, inquiritur. Bruta enim libertate carent, legem propoſitam non habent, ad finem ſupernaturalem ordinata non ſunt, Dei cognitione deſtituuntur. Si qua igitur guadent anima corpori ſuperſtite, neque caelo, neque inferis ea deſtinabitur.

Contra pereant brutorum animae; incerta tamen non erit humanarum Mentium immortali-

 tas.

tas. Neque enim haec ex ſimplici atque incorporea ipſarum natura proficiſcitur: ſed ex Dei bonitate, ſapientia, providentia, beatitudinis voto, atque aliis, quae brutis non ſunt communia, humanis Mentibus Creatoris beneficio perennitatem donatam eſſe manifeſtiſſime probatur: ut inferius demonſtrabitur.

Ultimo loco recenſemus putidam de Brutorum conditione ſententiam, quae Bougeantium [a] auctorem habuit. Is quidem, cum ipſi brutorum actiones in aliorum opinionibus haud recte explicari viderentur, rei difficultati conſultum iri exiſtimavit, ſi brutorum corpora cacodaemones incolere, eosque in ipſis animae loco eſſe ſtatueretur. Haec autem anilis fabella riſu potius, quam oratione ejicienda eſſe videtur. Quis enim aequo animo feret argumenta, quibus inficetus homo hujusmodi commentum perſuadere conatur?

1. Nam plura Scripturarum oracula conglobat, ut Angelos, qui a Dei conſortio exciderunt, demum tartareis poenis eſſe addicendos oſtendat, cum οἰκυμένικον (*generale*) judicium in mundi exitu abſolutum fuerit. Unde infert, nihil Deo antiquius eſſe potuiſſe, quam ut innumerabiles illas ſpirituum legiones brutis animandis deſtinaverit.

Atqui nihil magis falſo dictum, quam hoc. Conſtat apud Theologos Luciferum, ejuſque aſſeclas in inferos detruſos fuiſſe, ibique ſaeviſſimis torqueri ſuppliciis; neque enim id oſtendere noſtri mu-

---

[a] *In libello, cui titulus* Amuſement Philoſophique ſur le langage des Bêtes.

muneris partes ſunt. At quidquid de ea re tandem ſit: ipſene is eſt, qui legem Deo ferat, ut malos Angelos brutorum corporibus adjungat? Illud praeterea ipſi advertendum erat, quod, ut brutorum animae vices gererent Angeli, nova ſentiendi facultate a Deo exornandi eſſent.

2. Dolores, miſerias, incommoda in medium profert, quibus bruta ſubjici iniquum prorſus eſſet, niſi in ipſis rebellium ſpirituum ſuperbia merito puniretur.

At iniquum id eſſet, ſi bruta ad ſupernaturalem finem ordinarentur, ſi libertate potirentur, ſi mereri, aut demereri poſſent. Ita enim verum eſt, quod ſub Deo juſto nemo miſer eſſe poteſt, niſi id mereatur. Ceterum vitae incommoda, quae bruta ſubeunt, ſi cum voluptatibus, & jucundis ſenſationibus conferas, in quibus majorem vitae partem illa agunt; felices potius, quam miſeras beſtias eſſe deprehendes. Bruta enim praeſentibus duntaxat moventur; praeterita nunquam in memoriam revocant; neque ſecum ipſa agitant, quibus olim doloribus, atque aerumnis vexata fuerint. Futura nunquam proſpiciunt; neque eo cogitationem intendunt, ut inveſtigent, quamdiu praeſentia mala durare, aut quaſnam calamitates portendere poſſint. Id autem quantum dolorum acerbitatem mitiget, nemo non videt.

3. Beſtiae vitioſam ac flagitioſam vitam agunt, aliae alias ad necem inſectantur; invidae ſunt, iracundae, laſcivae &c. Aut igitur Deus eas veluti abſolutiſſimum vitiorum inſtar nobis propoſuit; aut ab aliquo originis peccato, quod ipſae admiſerint, id omne proficiſcitur: Atqui neutrum aliquis dicet.

Verum ineptus homo quid vitium ſit ac peccatum aut turpiter ignorat, aut ſe neſcire ſimulat. Nullum enim peccatum eſt, ubi lex nulla, a qua deſciſcitur. *Vitium* porro *hominis natura eſt pecoris*, ut ait Auguſtinus [*a*].

Objicitur IV. Spiritualis ſubſtantiae nulla datur idea. Ergo humana Mens ſpiritus non eſt. Humanam Mentem vulgo definiunt ſubſtantiam incognitam, indiviſibilem, inextenſam, inviſibilem, ſenſibus non ſubjectam. Atqui id non eſt, niſi negatio rerum omnium, quas cognoſcimus: h. e. omnium idearum abſentia. Ergo [*b*].

Reſpondeo 1. Si *ideae* nomine accipias quod ſenſibili quadam imagine indutum nobis repraeſentamus, nulla erit ſpiritus idea. Neque enim fieri poteſt, ut mihi veluti depictum objiciam, quod figura, colore, ceteriſque ſenſibilibus qualitatibus caret. Verum rationum momentis ductus intelligentia aſſequi poſſum, quod ens cogitans nullis conſtet partibus. Illud itaque concipio & intelligo. Et ſane plura concipimus, quorum tamen ſpeciem imaginatione complecti nequimus. In memoriam revocetur chiliogoni exemplum, quod in Logicis attulimus.

Reſp. 2. Materiam ejuſque affectiones cognoſcimus ex illius in corporis ſenſus ictibus, quorum ſenſatione afficimur. Mentem vero noſtram, ejuſque proprietates deprehendimus ex intimo ſenſu,

[a] *De Pecc. orig. c. Pel. & Caeleſt. Cap. XI.*

[b] *Hoc & quae duo ſequuntur argumenta proſequitur Meriannus in priori Parte* Syſtematis Naturae Cap. VII.

ſu, quo eam perſentiſcimus. Quicunque igitur ſuam conſulit conſcientiam, ſuam Mentem aeque ac corpora exſiſtere ſibi perſuadet. Eadem itaque inſania agitantur tum qui ſpirituum, tum qui corporum exſiſtentiam in dubium revocant.

Reſp. 3. Falſum eſt Mentem a nobis deſignari per negationem eorum, quae cognoſcimus. Ens enim quod cogitat, quod ſuae cogitationis conſcium eſt, ſanequam poſitivam ideam praeſefert. Quae vero de Mente negamus ea ſunt, quae cum notis illius proprietatibus omnino repugnare certa demonſtratione deprehendimus.

Objicitur V. Subſtantia non extenſa noſtrarum actionum principium eſſe nequit. Humana igitur Mens extenſa ſit oportet. Mens enim in noſtri corporis ſenſus agit, eoſque movet. Sed quod extenſum non eſt in extenſum agere ne concipi quidem poteſt. Ergo.

Reſp. Si hoc Merianni argumentum valet, valet & alterum: Nulla ratione deprehendere licet, quo pacto corpus in aliud agat. Ergo corpora in ſe mutuo agere nequeunt. Quid heic Meriannus? Nimirum corpus in aliud agere poſſe deprehendi dicet, quippe id ſenſibus percipitur. Atqui interiori ſenſu perſentiſco corpus a Mente moveri. Quamvis igitur hujuſce actionis rationem non teneam, de ea tamen me dubitare experientia prohibet.

Miratur ſane Meriannus, qua ratione fiat, ut res non extenſa in corpus agat. Idem porro aperte adſerit [a] ideas in cerebrum agere, illudque mo-

---

[a] *Legite ſynopſin opinionis Merianni ſuperius tra-*

movere. Quid autem extenſi eſt in idea? Sibi igitur ipſe repugnat.

Objicitur VI. Iisdem affectionibus, quibus ſubjicitur corpus, & Mens afficitur. Atqui id obtinere nequit, niſi eamdem naturam communem habeat utraque ſubſtantia. Mens igitur eſt corporea.

Reſpondeo. Plane conſtat ejuſmodi Mentem inter & Corpus conſenſum intercedere, ut certis quibuſdam corporis mutationibus certae reſpondeant Mentis mutationes. Haec ſane conſenſio ſtatis legibus obtinet: atque hujuſmodi mutationes quamdam ſecum ſervant analogiam, licet inter ſe valde diſcrepent. Contra vero aeque conſtat, quod certis quibuſdam Mentis affectionibus certae reſpondeant corporis modificationes. Igitur ſi primum probare videtur hominem totum corpus eſſe, aeque alterum ſuadet totum hominem eſſe ſpiritum. Utrumque abſurdum eſt. Illud igitur duntaxat ſtatuendum eſt, quod Mens & Corpus reciproca conſenſione ſecum conſpirent: neque inde effici poteſt, niſi ratione abuti velimus, quod ejuſdem naturae ſit utraque ſubſtantia.

Et ſane ſi mutua iſthaec conſenſio eamdem utriuſque ſubſtantiae naturam poſtularet, Mentis corporiſque mutationes ſibi mutuo reſpondentes Mechanicae regulis explicarentur. Atqui leges omnes, quas Phyſici tradunt, harum mutationum rationi aperiendae ineptae ſunt. Ergo. Finge aliquem conviciis laceſſi, riſu excipi, aut contemni:

---

traditam num. 10. *tum* Caput XI. *prioris Partis Syſtematis Naturae*.

mni: is quidem in iram uſque ad furorem conjicitur. Extemplo huic cor palpitat, bile tumet jecur, corpus contremiſcit, oculi micant, ſpumeſcunt labra, dentibus ipſe frendet, pedes ſupplodit, manus agitat, in obvia quaeque excandeſcit. Quinam heic, quaeſo, nexus cauſſam inter & effectum? Emiſſae vocis ſonus aurem nervumque acuſticum concuſſit, atque inde cerebrum affectum eſt. Id autem cum iis, quae ſequuntur, nihil affinitatis habet. Auditas enim contumeliae voces conſequitur ingrata idea laeſae exiſtimationis, tum propriae offenſae moleſtus ſenſus, ac tandem ultionis deſiderium. Haec porro ab iis, quae praeceſſerunt, prorſus abhorrent, atque eadem nihil neceſſitudinis habent cum inordinatis corporis motionibus, quae inde ſequuntur. Quamobrem reciprocus Mentis corporiſque conſenſio ejuſmodi eſt, ut effectus ſemper a ſua cauſſa diſcrepet. Non igitur in eadem natura ſecum conveniunt.

CAPUT II.

De Humanae Mentis Immortalitate.

QUi humanae Mentis ſimplicitatem adoriuntur non alio reſpiciunt, quam ut ipſius immortalitatem e medio tollant. Nimirum cum ipſi Religionis fundamenta convellere ſibi propoſuerint, in eo omnem collocant operam, ut exceſſu vitae funditus hominem deleri, ac plane interire oſten-

oſtendant. Inde enim illud efficiunt, quod nulla ſit altera, quae praeſentem ſequetur, vita: tum etiam quod futurae beatitudinis ſpes omnis abjicienda, nec futurae miſeriae ſint pertimeſcendi terrores. Eorum in hanc rem graviſſimos errores minutatim recenſere nec vacat nec libet: praeſertim cum in Theologicis Inſtitutionibus in *Libris de Altera Vita* eos in unum collectos, ac ſtudioſiſſime refutatos habetis.

Verum inſtar omnium Merianni deliramenta heic delibare ſatis erit; hic enim dirum virus a venenatis impiorum fontibus hauſtum totum evomuiſſe videtur. Is quidem I. (*a*) animi immortalis opinione turpiter homines illudi ac decipi docet. Erroris autem duas tribuit cauſſas. 1. Homo cum ignotam vim, quae corporis motus cieret ac dirigeret, in ſeipſo ſentiret, duplicem in ſeipſo naturam diſtinxit. Hinc alteram ſui partem vel ex Dei anima hauſtam, vel ab ipſo conditam, & ſpiritualem & immortalem finxit. Nihil autem hoc ſtultius excogitari poſſe blaterat. Partium enim humani corporis fabricatio, earumque in motum conſenſio animam conſtituit; ea igitur diſſoluta, pereat neceſſe eſt anima. Quis enim corporis modificationem corpore diſſipato perſeverare dixerit?

2. Ardentiſſimum propriae exſiſtentiae amorem homini natura indidit; hinc in ea ſemper perſeverandi deſiderium exarſit; hujusmodi autem votum in certum perennitatis monumentum abiit. Homo enim ſibi perſuaſit ab ipſa natura ſemper exſi-

(a) *Syſtême de la Nature T. I. chap. XIII.*

exſiſtendi deſiderium hauſiſſe; hinc nunquam fore ut ipſe interiret, veluti natura ipſa docente credidit. Facile porro fuit, ut hujusmodi opinione imbutus libenter aures iis accommodaret, qui illius votis adulantes immortalitatem docuerunt. At quantum a vero homo aberrat Merianno auctore! amor enim exſiſtentiae ex ipſius ſenſilis entis natura proficiſcitur, cujus proprium eſt, ut ſe ipſum ſervare appetat. Hominis porro imaginatio, quae deſideriis τὸ εἶναι (*eſſe*) elargiri ſolet, huic amori pondus addidit. Verum quod huic deſiderio ſatis fiet, temere quidem confidit homo. Corporis enim vitam anhelamus: atqui eam incaſſum appetere infelices experimur. Fallax igitur eſt illa concluſio, homines ſemper vivere, quia univerſi ſemper vivere appetunt.

II. Immortalitatis dogma nihil utilitatis, plurimum vero detrimenti publicae Societati afferre definit Meriannus. Nam 1. mortis terroribus ita homines occupantur, ut vel qui certam ſpem futurae beatitudinis habent, ſuorum corporum diſſolutionem non ſine horrore proſpiciant. Mors quidem non eſt, niſi vitae ſomnus, quem nulla moleſta ſomnia turbant, & quo pacatiſſima quiete perpetua nox eſt dormienda. At qui immortalitatem praedicant adeo horridis expreſſam coloribus mortem hominum oculis objiciunt, ut aegritudines anxias atque acerbas injiciant, animosque affligant ac debilitent metu.

2. Qui propriis cupiditatibus abrepti ad vitia inflammantur, immortalitatis atque alterius vitae minis ac promiſſionibus nequidquam moventur. Cupiditatum enim aeſtus nec beatitudini, nec

ſup-

ſuppliciis eos proſpicere patitur. Ea quidem in illos agere poſſunt, qui recte, honeſte, ac laudabiliter vivunt: qui nimirum fruſtra exagitantur horrenda futuri ſupplicii imagine; quippe hujusmodi terroribus non indigent, ut a malo abſtineant, vel virtutem conſectentur. Perditos igitur ac diſſolutos, cujusmodi eſt bona pars hominum, ad officium alterius vitae metus ducere nequit.

3. Qui futurae miſeriae ingruentem tempeſtatem pertimeſcunt, ac ultorem dominum cervicibus impoſitum reformidant, inertes omnino ac deſides bonum publicum, ſocietatis commoda, & ſplendorem negligant oportet. Quis enim hujus terrae curandis bonis incumberet, quae aeterni Regni veſtibulum eſt; & quovis momento fracta collabi poteſt? Nihil igitur Immortalitatis dogmate Civitatibus exitioſius.

III. Meriannus ſibi nihil conſtans Immortalitatis atque alterius vitae ſententiam *politicum figmentum* eſſe docet. Religionis inſtitutores, legumlatores, atque ipſos Philoſophos eo dogmate fortius, quo coërcerent homines, frenum neque agnoviſſe, neque adhibuiſſe fatetur. At innumera, quae in genus hominum inde profecta ſunt mala, ipſe humani equidem generis inſtaurator deplorat. Haec Meriannus Religionis omnis everſor peſſimo publico natus.

Verum qui recte philoſophantur, qui nimirum naturalis rationis lumen ſequuntur nec ſenſuum imaginibus obnubilatum, nec vitiorum voluptate praeſtrictum, humanae Mentis immortalitatem deprehendunt. In ea autem probanda triplex, quae huic vocabulo notio ſubeſſe poteſt, extrican-

canda eſt. Nam 1. immortale dicimus quidquid ejusmodi eſt, ut partium ſecretione interire non poſſit. Quo ſane ſenſu immortale idem eſt, ac quod vulgo *incorruptibile* nuncupatur.

2. Immortale dici poteſt, quod nunquam iis mutationibus ſubjicitur, ut ſuas facultates prorſus amittat: ſive quod ab ea actione & efficacia, qua vivit, ut ut immutatum non ceſſat.

3. Tandem immortale appellari conſuevit, quod nunquam in nihilum, unde ſemel emerſit, redigetur. *Interitum* dixere Latini veteres, quam proprio vocabulo *annihilationem* vocitare amant recentiores Philoſophi. Quod igitur annihilationem non ſubit, immortale peculiari quodam ſenſu nuncupatur.

Jam vero cum de Mentis immortalitate quaeritur, tria haec ſecernantur oportet; neque enim ita inter ſe colligata ſunt, ut aliud ex alio proficiſcatur. Mens quamvis corruptionem ſubire nequeat, haud propterea immortalis eſt altero aut tertio ſenſu. Finge enim eam ita corpori conjungi, ut ex vi conjunctionis vita & cogitatione fungatur: nimirum quod ut cogitet, eo neceſſario indigeat; licet incorruptibilis, mortalis Mens erit. Quod ſi vero qui Mentem condidit Deus, funditus eam delere vellet, ſimplicitate ſua mortem non effugeret.

Quamobrem humanae Menti immortalitatem vindicaturi demonſtrabimus 1. ſui ipſius diſſolutione illam nunquam interituram; quod quidem ſua ſponte fluit ex iis, quae ab omni corporea concretione ſolutam ac liberam Mentem eſſe ſuadent.

2. Mentem ita corpori, cui copulatur, diſſo-

luto

ſoluto ſuperſtitem eſſe, ut vivere & cogitare perſeveret. Id autem eo conſilio proſequimur, ut quorumdam in hanc rem errorem redarguamus. Sunt enim qui opinantur mori animam extincto corpore; eamque in Mundi exitu corpore reviviſcente vitam iterum repetere. Quin & Meriannus praeter alia, quibus animae immortalitatem peſſumdat, ipſi rationi refragari docet, quod anima ſentiat, cogitet, triſtetur, laetetur, ideas habeat a corpore diſſociata: h. e. iis organis deſtituta, quibus ſenſationes, perceptiones, atque ideas haurire poteſt. Nimirum animae vitam a corpore ſejunctae & improbant & inficiantur.

3. Inſpecta Dei voluntate, quam ipſius Providentiae leges, ac perfectiones patefaciunt, Mentem perenne aevum eſſe acturam. Quidquid enim in nihilum abire nequit, niſi ab ipſo Deo, qui e nihilo illud eduxit, in nihilum redigatur. Mens igitur, quae corruptionis mortem ſubire nequit, at deletioni obnoxia eſſe poteſt, immortalis erit, ſi eam Deus delere nunquam velit.

PROPOSITIO I. *Humana Mens corruptioni non eſt obnoxia*.

Demonſtratur. Corruptio eſt quaſi diſceſſus & ſecretio earum partium, quae antea junctione aliqua tenebantur. Atqui nihil eſt Menti admixtum, nihil concretum, nihil coagmentatum. Igitur nec dividi, nec ſecerni, nec diſtrahi poteſt (*a*).

PRO-

(a) *His fere verbis diſſerit Romanus Philoſophus Tullius, quem legere non pigeat* Lib. I. Tuſcul. Cap. XXIV.

PROPOSITIO II. *Humana Mens a Corpore ſejuncta vivit & cogitat.*

Demonſtratur. Humana mens diſſolvi atque interire nequit. Cum igitur corpus diſtrahitur, ipſa nihil inde ſibi metuens periculi exſiſtere perſeverat. Si autem a corpore ſeparata exſiſtit, vivit, & cogitet neceſſum eſt. Ergo.

Re quidem vera Mens corpori propterea ſuperſtes eſt, quia ut exſiſtat nullo pacto a corpore pendet. Atqui Mentis vita ceteraeque facultates, ſi unam *αἴσθησιν* [*ſentiendi vim extimam*] excipias, corporis miniſterio non indigent. Mens igitur, quamvis a corpore ſejuncta, vivit & cogitat.

Probatur Aſſumptio. In eo poſita eſt noſtrae Mentis vita, ut ſimplex quaedam ſit atque interior efficacitas & vis ex ſeipſa ſeſe movendi; qua ſibimet ipſa, dum agit, praeſto eſt, ut ad ea, quae molitur, attendat: ut ſeſe agere aut perpeti ſentiat: ut tandem interno quodam ſenſu afficiatur. Haec autem vitalis actio ita Mentis propria eſt, ut facilius atque expeditius exſeratur, cum e corpore Mens evolaverit. Ergo.

Quod vero ubi Mens a corporis amplexibus avulſa fuerit, cogitandi vim expeditiorem habeat, jam nunc aperte nobis inſpicere datur. Nam 1. unusquiſque ita comparatus eſt, ut cum in ſublimium rerum contemplatione verſari velit, animum in ſeipſum colligat, ſecum eſſe cogat, maximeque a corporis ſenſibus abducat.

2. Eo aliquid melius intelligere experimur, quo magis Mentis intentionem a corporis ſenſibus avocare, ac veluti ſecernere conamur.

3. Comperta res eſt nonnullos interdum adeo ſe totos in re aliqua perſpicienda ponere, ut Mens corporis conſortium indignata veſuti ab ipſo ſecedere videatur. In his enim a corporis conſuetudine Mentem averſam eſſe vel illud argumento eſt, quod nullos ſentiant rerum externarum ictus. De Archimede quidem memoriae proditum eſt, quod Geometricis formis adeo intentus erat, ut ne tantum quidem ſenſerit tumultum, quantum capta urbs in diſcurſu diripientium militum ciere poterat. Tum de quodam Reſtituto narrat Auguſtinus, ita a ſenſibus avocari conſueviſſe, ut etiam admoto igne aduſtus nullo dolore afficeretur [a].

Jam porro haec omnia aperte oſtendunt 1. vim illam, qua Mens vivit, & per ſemet ipſa ſuos exſerit actus, non ex mutua corporis & Mentis communione pendere; ſed hanc potius impedimento eſſe, quo minus ſuis illa facilius actibus fungatur.

2. Mentem non modo corporis affinitate dirempta exſiſtere, verum etiam puriorem vitam vivere, & ſuis liberius frui cogitationibus.

3. Nihil eſſe in rerum natura, quod Mentem vita & cogitatione ſpoliare queat. Mens enim non aliter vita deſtitui poteſt, quam ſi in nihilum abeat; atqui creatae vires tanti non ſunt, ut aliquid in nihilum redigere valeant. Ergo.

Objicitur I. Mens humana pendet a corpore, ut cogitet. Igitur a corpore ſeparata cogitandi facultate deſtituitur. Multa quidem ſunt, quae Men-

[a] *Lib. IV. De Civ. Dei Cap. XXIV.*

Mentis cogitationem a Corpore pendere ſuadent. Nam 1. exploratum eſt pro varia corporis temperatione variam eſſe cujuſque Mentis in cogitando indolem. 2. Quae corporis organa vitiant, eadem & Mentis functiones perturbant. Hinc in pueris, quorum organa imbecilla adhuc ſunt & imperfecta, & cerebrum nimis molle ac fluidum, Mens vix, aut ne vix quidem cogitare videtur. In ſenibus vero, quorum corpora ob humoris inopiam languore conficiuntur, & ipſius Mentis langueſcunt cogitationes. Tandem ebrietas, phrenitis, inſania, lethargus, quae omnia Corporis morbi ſunt, Mentem ita afficiunt, ut ipſius cogitandi vis non leve damnum ferat. Jam vero haec omnia ex ipſa corporis fabricatione cogitandi facultatem proficiſci, aut ſaltem maxime pendere demonſtrant. Mens igitur a Corpore ſejuncta cogitare deſiſtet.

Reſpondeo diſtinguendo Antecedens: Mens a Corpore pendet, ut ſuas exerceat functiones, concedo: pendet a corpore, quaſi ab ipſo cogitandi vim mutuetur, nego. Non inficiamur equidem corporis ſtructuram, temperationem, nutritionem, aërem, clima, aliaſque phyſicas cauſſas in Mentis functiones agere. Nimirum ipſa, ut ſuas exerceat facultates, plurimas ex recenſitis cauſſis ſubit affectiones: h. e. ſuarum facultatum uſus modo adjuvatur, modo perturbatur, modo etiam interrumpitur.

Id autem ex ipſa Mentis Corporiſque conjunctione proficiſcitur. Haec enim in eo ſita eſt, ut certis quibuſdam in Corpore motibus certae reſpondeant Mentis cogitationes, & contra deter-

minatae Mentis cogitationes certas excitent corporis motiones. Atqui hinc eſt, quod ſi corporis motiones, quae Mentis cogitationibus ſuſcitandis deſtinantur, aliquo vitio laborent, ipſae cogitationes ſint imperfectae. Quod ſane oſtendunt, quae in pueris, ſenibus, ebriis, &c. uſuvenire experimur.

Et ſane, ut clarius id intelligatur, quae nobis per extimos ſenſus obveniunt, veluti *materiam* conſtituunt, unde ideas ſibi Mens effingit. Plura autem ſunt, quae ſenſus ac cerebrum afficere poſſunt: eadem & Mentem afficere debent. Quae enim per ſenſuum ac cerebri viam ad Mentem transmittuntur ex illorum vitio perturbata ſint oportet. Vitiata igitur materia, unde ideas, judicia, ac ratiocinia inſtituit, Menti ſuppeditatur. Illius igitur cogitandi vis cerebri ac ſenſuum affectionibus hoc pacto ſubjicitur.

Verum id omne minime probat, quod Corporis fabricationi, aliisque phyſicis cauſſis ſuas Mens debeat facultates. Immane quidem intereſt diſcrimen inter facultatis *modificationem*, & ejuſdem *creationem*. Nimirum in cogitandi facultatem corporis temperatio agit quidem, eamque varie afficit, & modificat, ipſam vero non creat. Id itaque, in quo Corpori Mens ſubjicitur, facultatum eſt exercitium & uſus.

Quamobrem temere colligitur Mentem vi cogitandi deſtitutam iri, ubi a corpore diſſociata fuerit. Quin imo haec eadem, quae in praeſentis vitae conditione contingere experimur, non obſcure innuunt, eo expeditius communione cum corpore ſoluta Mentem cogitare, quo difficilius an-

antea illius mole impedita cogitabat. In praeſens enim corporis, quocum conjungitur, temperationem ſequi cogitur. Hac igitur lege ſoluta cogitandi facultate ſuo jure utetur.

Objicitur II. Cogitandi facultas inanis omnino eſſet atque irrita, ſi nulla ſuppeterent objecta, circa quae illa verſaretur. Atqui nihil Menti adeſt, quod illa cogitando proſequatur, poſtquam e Corpore diſceſſit. Iners igitur facultas illa quieſcet.

Reſpondeo falſum plane eſſe, Mentem a Corpore ſejunctam objectis carere, quae ſibi contemplanda proponat. Nam 1. multa ac varia erunt ſpectacula, quae in locis caeleſtibus, h. e. in ſpirituum regione Mens habebit. Solo quidem naturae lumine divinari non licet, quodnam ſit vitae genus, quam a corporibus ſejunctae hominum Mentes vivent. Verum nihil vetat, quin non pauca illi adeſſe dicamus, quae ex aliorum ſpirituum ſocietate cogitando proſequi poſſit.

2. Vel ipſa Mens immenſam ſibi cogitationum ſegetem ſuppeditabit. Seipſam enim intuens ea, quae intime ſentit, ſecum volutat; ſuos appetitus, & volitiones expendit; quae olim corpori conjuncta perceperat, multo perfectius, quam antea, in memoriam revocat; atque ab omni libera ſenſibilium moleſtia ſibi ipſa intenta tranquillà fruitur contemplatione.

3. Creatoris cognitio, quam ex ſuae originis conſcientia, ex veritatis, beatitudinis, & aeternitatis deſiderio facile Mens haurit, multa ipſi proponit, quae contempletur.

4. Aſpectabilis hujus mundi compago jucun-

diſſimum etiam exhibebit Menti ſpectaculum. Qua enim vi corpori alligata res externas percipit, quae ſcilicet ad ſenſus appellunt, eâdem potentiâ corpore ſoluta res corporeas *ἀμέσως* [*immediate*] cogitatione complecti poterit, dummodo *attentionâ* circa eas verſetur. Hujuſmodi cogitationem Mentibus a corpore dejunctis vindicat Tullius (*a*).

PROPOSITIO III. *Humana Mens nunquam emorietur.*

Demonſtratur. Ut res aliqua funditus intereat, atque in nihilum redigatur; id unius Dei virtute, qui res omnes e nihilo eduxit, effici poteſt. Atqui nunquam fore, ut humanam Mentem in nihilum vertere Deus velit, plura rationum momenta ſuadent. Ergo.

I. Quamvis nemo neget poſſe Deum humanam Mentem non condere, poſſe conditam in nihilum redigere: manente tamen ratione ſufficiente, qua condidit, eam funditus ſubvertere non vult. Manet autem ratio ſufficiens, qua condita eſt humana Mens. Ne igitur ſine ratione ſufficiente Deus agere videatur, nunquam ipſum Mentem plane interimere velle dicendum eſt.

Nam 1. illuc Deus intendit, cum Mentem e nihilo condidit, ut nimirum ſua attributa & perfectiones in ea palam faceret atque aperiret. Atqui deleta Mente divinarum perfectionum declaratio evaneſcit. Evaneſcit autem, tum quia mirabile divinae ſapientiae opus perit, tum vero quia nulla erit amplius intelligens creatura, cui Dei

(a) *Lib. I. Tuſcul. cap. XX.*

Dei attributa manifeſtentur. Ergo.

2. In humana Mente ſe Deus expreſſit, & vivam ſui imaginem depinxit. Atqui hanc Dei imaginem atque effigiem manere ratio omnis ſuadet. Ergo. Dei enim imaginem praeſefert Mens, prout intelligendi volendique facultate praedita in ſummae veritatis immenſique boni adeptionem connititur. Atqui inſpecto hoc ordine providentiae, quod ex naturae inſtitutione proficiſcitur, irritum eſſe nequit. Ergo.

II. Quaecunque Dei attributa naturali ratione nobis innoteſcunt, eadem humanam Mentem ab ipſo numquam delendam eſſe demonſtrant. Atqui Deus ſeipſum negare non poteſt. Certa igitur ſuppetunt de Mentis immortalitate divinae voluntatis monumenta. Nam 1. Deus ſapiens eſt: infinitae autem ſapientiae ratio poſtulat, ut nec ſine certo quodam fine agat, nec finis iſte agentem dedeceat. Atqui ſi Mens, divinae opus ſapientiae, non eſſet perennis, nullo propoſito fine, nec ſibi reſpondente Deus ageret. Ergo. In rerum quidem creatione quilibet finis, qui ad Deum non referatur, ipſius indignus eſt; ſecus enim, quod ſeipſo inferius eſſet, reſpiceret Deus. Sui ipſius igitur gloriam Deus intendit. Atqui in praeſenti ordine providentiae ſi hujus duntaxat vitae ſtatu creatae Mentis finis concluderetur, nulla in Deum gloria redundaret. Creatura enim intelligens, h.e. ad ſummae veritatis cognitionem apta & deſtinata, corporis, cui conjungitur, curae & conſervationi deſtinaretur. Id autem neque Dei ſapientiae, neque creaturae intelligentis dignitati reſpondet. Ergo.

 2. Deus

2. Deus providentiſſimus eſt: Providentiae autem ordo poſtulat, ut ſingulae res ad proprium finem apte dirigantur. Atqui ſi humana Mens perennis non eſſet, hujuſmodi ordo intercideret. Ergo. Et ſane Mens a Deo intelligens condita eſt; veri propterea bonique adeo capax & ſtudioſa, ut non conſectetur niſi incommutabilem veritatem, & immenſo bono ſatietur. In hoc igitur rerum ordine a Deo conſtituto ultimus finis, cui ex propriae naturae inſtitutione Mens deſtinatur, beatitudo eſt in ipſius Dei fruitione ſita, & nunquam deſitura. Atqui hujuſmodi finis Menti impervius omnino eſſet, ſi perenni vita non frueretur. Ergo.

3. Deus eſt ſumme bonus: infinitae autem bonitatis ea eſt indoles, ut & in res creatas diffundatur. Atqui relativa iſthaec divinae bonitatis ratio exigit, ut Mens perennis ſit. Ergo. Deus enim ſumme intelligens, quia abſolute bonus eſt, propterea ſibi ad fruendum aptiſſimus eſt, h. e. in ſe beatiſſimus. Mens igitur utpote intelligens a Deo facta in uno Deo beatificum ſui finem aſſequi poteſt. Atqui immortalitatis munere Mens deſtituta hujuſmodi fine etiam deſtituitur. Ergo.

4. Deus juſtus eſt; juſtitiae autem ea eſt ratio, ut recte factis praemium, male factis poena retribuatur. Atqui nullus eſſet huic juſtitiae locus, Mentis immortalitate ſublata. Ergo. In praeſentis enim vitae ſtatu & virtutes & ſcelera obtinent. Sed nec virtuti merces, nec ſupplicium ſceleri ad amuſſim reſpondet; nam ut plurimum boni adverſa ſorte vexantur, mali vero proſpera

utun-

utuntur. Igitur juſtitiae rationibus minime fieret ſatis, ſi hominum ſors in praeſenti vita concluderetur. Quamobrem omnino oportet, ut hujus vitae itinere confecto ſuperſtites hominum Mentes perenniter vivant, quo ſingulis pro merito poena vel praemium reddatur.

Atque haec ſententia ita natura admonente hominum animis ſemper haeſit, ut vel ipſi Ethnici, quibus licet nihil ex vero de altera vita innotuit, Elyſios tamen & Tartara, ibique judices conſtitutos, aliaque veluti divinando commenti ſint. Ita enim cenſebant: duas eſſe vias animorum e corpore excedentium. Nam qui se integros caſtosque ſervaſſent, eos in amoeniſſimis locis vitam acturos eſſe ſine fine feliciſſimam opinabantur: qui vero se vitiis inquinaſſent, hos quidem exquiſitiſſimis tormentis aeternas ſoluturos eſſe ſcelerum ſuorum poenas. Quod quidem unde, niſi intus monſtratum, recte nimirum factis praemia, peccatis ſupplicia deberi? Propterea perennes eſſe hominum animos, & fore judicium quoddam veteres exiſtimarunt, in quo ſua cuique poena, ſuum cuivis praemium ſtatueretur.

III. Suae perennitatis perſpicua argumenta in ſeipſa concluſa Mens habet. Haec autem ſibi indita ab ipſo Conditore accepit. Quod igitur nolit Deus Mentem interimere, ab ipſo admonemur. Nam 1. certa ſcientia, atque interiori animi judicio compertum eſt, univerſos homines natura duce ad beatitudinem contendere. Hujus autem appetitus locupletiſſimum teſtimonium ſua reddit cuique conſcientia: tum etiam inde ille elucet, quod nihil potentius homines fugiant,

quam

quam miſeriam. Atqui miſeria genus eſt quoddam mali; mali autem fuga ex boni contrarii cupiditate proficiſcitur. Propterea igitur nemo miſer eſſe vult, quia ſibi melius eſſe, h. e. quia beatus eſſe unuſquiſque deſiderat. Itaque in explorato eſt, ita nos naturali amore *beatos eſſe velle, ut eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam velle poſſimus:* ut inquit Auguſtinus. Atqui beatitudinis appetitus immortalitatis votum includit. Naturali igitur amore ad immortalitatem unuſquiſque fertur.

Et ſane beatus eſſe, niſi perpetua felicitate, nemo poteſt. Immenſi enim boni fruitio, in quo beatitudo ſita eſt, ſi perpetuitate deſtituitur, amittendi boni timorem incutit. Atqui timor felicitati adverſatur. Ergo. Compreſſe id proſequitur Tullius: *Si amitti vita beata poteſt, beata eſſe non poteſt. Quis enim confidit ſemper ſibi illud ſtabile & firmum permanſurum, quod fragile & caducum ſit? Qui autem diffidit perpetuitati bonorum ſuorum, timeat neceſſe eſt, ne aliquando amiſſis illis ſit miſer: beatus autem eſſe in maximarum rerum timore nemo poteſt.* (a) Beatitudo igitur, ad quam vehementi contentione abripimur, perpetem ſecum vitam complectitur.

Jam porro ſapientiſſimus naturae auctor nihil fruſtra molitur. Quae igitur ex inſtitutione naturae nobis inſita ſunt deſideria, haec inania eſſe non poſſunt. Irrita autem eſſent, ſi expleto praeſentis vitae curriculo, nulla immortalitatis ſpes no-

(a) *Lib. II. De Fin. Cap. XXVII.*

nobis affulgeret . Conditoris igitur beneficio immortalis erit humana Mens.

2. Mentis noſtrae amor, quo ipſa, veluti corpus pondere, fertur quocunque fertur, ſua vi eo contendit, ut cum re, quam appetit, conſocietur. Atqui hujuſmodi bonum, cui amorem ſuum religare Mens cupit, ſtabile & permanens ſit oportet. Conjunctio igitur, ad quam Mens amando fertur, firma & perpetua ſit neceſſum eſt. Sed immortalitatis ſpe ſublata hujuſmodi amor natura Menti inſitus nunquam expleretur. Ergo.

Enimvero comperta res eſt, quod boni levitas ac fragilitas Mentem ab amando revocat. Nam 1. unuſquiſque ſibi conſcius eſt, ſe propterea in rem aliquam amore duci, quod illam ſtabilem & permanentem ſibi exhibeat. 2. Contra vero amorem removemus a re, quae antea in deliciis fuit, vix ubi illam caducam & mutabilem deprehendimus. 3. Saepius experimur, quod ſi aliquando exoptata re frui licet, eo miſerius diſcruciamur, quo citius eam extorquendam nobis eſſe, aut extorqueri poſſe timemus.

3. Gloriae & nobilitatis amor ita univerſos homines occupat, ut etiam poſt mortem nobilitari velint. Id autem ex ea animi perſuaſione proficiſcitur, quod poſtera ſecula ad nos pertinere exiſtimamus: pertinere porro nequeunt, ſi toti perimus. Immortalitatis igitur votum intime in nobis inſculptum habemus.

Et ſane ſi brevi annorum curriculo Mentis vita circumſcriberetur: cur optimi quique viri poſteritati quam maxime ſerviunt? Num ut eorum memoria poſteris commendetur? Atqui ſi mor-

morte funditus intereunt, nihil ſua intereſt, quod citius aut ſerius in oblivionem veniant. Cui enim bono vacua haec nominis umbra, ſi nullus erit gloriae ſenſus habendus? Naturae igitur auctor inanis immortalitatis amore in nos illuderet: quod ab ipſius bonitate longiſſime alienum eſt (*a*).

IV.

(a) *Propoſitum argumentum ſcite more ſuo proſequitur Tullius* Tuſcul. Lib. I. Cap. XIV. XV. *unde pauca quaedam quin heic exſcriberem, mihi temperare non potui: ea praeſertim de cauſſa, ut Meriannus ex Tullio diſcat, quantum hominum pectora ad ſtrenua quaeque pro reipublicae ſalute ac ſplendore obeunda dogma immortalitatis inflammet.* Quid in hac republica tot tantoſque viros ob rempublicam interfectos cogitaſſe arbitramur? Iisdemne ut finibus nomen ſuum, quibus vita, terminaretur? Nemo unquam ſine magna ſpe immortalitatis ſe pro patria offerret ad mortem . . . . . Inhaeret in mentibus quaſi ſeculorum quoddam augurium futurorum: idque in maximis ingeniis altiſſimiſque animis & exſiſtit maxime & apparet facillime. Quo quidem demto, quis tam eſſet amens, qui ſemper in laboribus & periculis viveret? Quid poëtae nonne poſt mortem nobilitari volunt? . . . . Sed quid poëtas? opifices poſt mortem nobilitari volunt . . . Quid noſtri philoſophi? nonne in his ipſis libris, quos ſcribunt de contemnenda gloria, ſua nomina inſcribunt? . . . . Veriſimile eſt, cum optimus quiſque poſteritati ſerviat, eſſe aliquid, cujus is poſt mortem ſenſum ſit habiturus. *Id autem Tul-*

lius

IV. Tandem maximum argumentum eſt naturam ipſam de immortalitate animorum tacitam judicare. Ut enim docte diſſerit Tullius [a] omni in re conſenſio omnium gentium lex naturae putanda eſt. Neque enim id hominum collocutio efficere poteſt: neque inſtitutis opinio confirmata eſt, aut legibus. Atqui nationes omnes per ſingulas quaſque aetates conſentiunt, exceſſu vitae haud ita deleri hominem, ut funditus intereat. Ergo.

Hanc autem de animorum immortalitate aetatum omnium ſententiam probat 1. Religionis cultus, quo nullae fere nationes caruerunt. Haec enim conſiſtere nequit, niſi alterius vitae minis ac promiſſionibus homines in officio contineantur. Atque hinc eſt, quod apud omnes ferme veteres invaluerit Elyſiorum ac Tartari fabula.

2. Vel ipſae gentes, quae idolorum cultu Religionem adulterarunt, in animorum immortalium ſententiam conſpirarunt. Quos enim veluti Deos venerabantur, ii homines erant ex populi ſuperſti-

---

lius ex Platone expreſſit, qui Epiſt. II. *ait*: Fit natura quadam, ut ignaviſſimi homines nihil curent, quae ſit de ipſis futura opinio: probatiſſimi autem viri cuncta faciunt, quo in futuris ſeculis bene inter homines audiant. Quam ego conjecturam facio, eſſe aliquem ſenſum iis, qui mortui ſunt, rerum quae in vita geruntur. Quoniam optimi ſic forte divinant: deterrimi autem nequaquam. Validiora vero ſunt divinorum virorum praeſagia, quam aliorum.

[a] *Lib. I. Tuſcul. Cap. XIII.*

ſtitione conſecrati [*a*] . Sed qui hujuſmodi Diis preces & ſacrificia offerebant, eorumque auxilium ſperabant: ipſos poſt mortem vitam agere putare debebant. Ergo.

3. Idem probant ſepulcrorum caeremoniae ſumma religione ubique gentium adhibitae. Fruſtra enim eas coluiſſent, ſi mortem crediddiſſent interitum eſſe omnia tollentem ac delentem.

4. Quod ſi pauci quidem olim fuerunt, qui animos morte multarunt: illud tamen conſtat, veteres, quo magis virtute excelluerunt, eo firmiorem immortalitatis ſpem habuiſſe. Id autem ipſius naturae ſententiam exprimit. Ut enim apposite Tullius: *Specimen naturae capi decet ex optima quaque natura . . . quorum* enim *aut ingenio aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima ſunt, cernere naturae vim maxime* [*b*].

Objiciunt 1. Ordo juſtitiae, ut recte factis merces, peccatis ſupplicium reddatur, Mentis immortalitatem non probat. Temere igitur inde ea derivatur. Nam 1. ipſa recte facti conſcientia, & quae inde oritur pacata tranquillitas, uberrimus eſt virtutis fructus: Contra vero ſcelerum con-

[a] *Docet id Tullius & e Graecis ſcriptoribus probat, eoque argumento communem immortalis animi ſententiam evincit*: Totum prope caelum nonne humano genere completum eſt? . . . . Ipſi illi, majorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in caelum reperientur. Lib. I. Tuſcul. Cap. XIII.

[b] *Lib. I. Tuſcul. Cap. XIV. XV.*

conſciéntia ſatis ſuperque improbos diſcruciat. Ergo in praeſenti vitae ſtatu virtuti praemium, & poena peccato retribuitur.

Reſpondeo. Si ea eſſet virtutis merces & peccati poena, duo inde ſequerentur abſurda. 1. Inique prorſus cum ſceleſtis ageretur, cum, ut merita poena illi afficiantur, morte plectuntur. Potius enim ipſorum vitae conſulendum eſſet, ut diutius ſcelerum ſuorum ſtimulis exagitarentur. 2. Qui per peſſima quaeque flagitia vitam duxerunt, eſſent omnium beatiſſimi. Nam perſaepe evenire ſolet, ut cum flagitiorum faſtigium impii attigerint, eos nullus conſcientiae ſtimulus mordeat.

Verum ipſa juſtorum tranquillitas, atque improborum angor & metus, praeſertim imminente morte, Mentis immortalitatem manifeſte arguunt. Recte enim facti conſcientia ſolatur juſtos, quippe uberrimum virtutis fructum exſpectant. At improbi ſcelerum ſuorum ſtimulis torquentur; ſuppliciorum enim acerbitatem reformidant. Id autem unde proficiſcitur, niſi quod natura duce univerſi homines ad immortalitatem contendant? Dele enim ex hominum animis hanc immortalitatis ſententiam, extemplo & ſpes mercedis, & ſupplicii metus evaneſcet. Atqui ſperant juſti, timent impii, natura ipſa impellente. Ergo.

Inſtant 2. Juſtitiae legibus ſatis fieret, ſi pro cujusque merito ad ſtatutum aliquod tempus praemium aut ſupplicium rependeretur. Neceſſe igitur non eſt, ut ad ſcelerum ultionem; & recte factorum praemium immortalis vita Menti tribuatur. Et ſane virtus ac peccatum finiti agentis phyſicae ſunt actiones. Praemii igitur ac ſuppli-

plicii aeternitas meritum ſuperat.

Reſpondeo Divinae juſtitiae ordinem non ſervari, niſi aeterna tum virtuti merces, tum peccatis poena retribuatur. Nam quod ad juſtorum praemium attinet: ſi hoc aeternum non eſſet, ſupplicium potius, quam praemium cenſeri deberet. Nam 1. miſer eſſet homo, ſi de beatitudinis ipſius perpetuitate incertus maneret. Felix enim eſſe nequit, quem amittendae beatitudinis timor vexat & angit. 2. Miſerior eſſet, ſi beatitudinem ipſam deſituram eſſe ſciret ac nollet. Natura enim homo contendit, ne vita & beatitudine ipſa deſtituatur: idem porro in explorato habet fore, ut aliquando & vita & beatitudo ipſi auferatur. Interior igitur pugna in ipſo exardeſcit, unde ita diſcruciatur, ut nihil ſit hac beatitudine infelicius. 3. Miſerrimus eſſet, ſi & ſciret ac vellet beatitudinem finem conſecuturam. Cum enim id aſſequi plane deſperaret, ad quod naturali fertur appetitu, contra appetitum contendens vitae & beatitudinis exitum anhelaret. Hunc autem quis in ipſa beatitudine infeliciſſimum eſſe negaverit?

His adde, quod Mentis interitus, ſive annihilatio, infelicitas eſt, qua major nulla excogitari poteſt. Atqui ſub Deo juſto nemo miſer eſſe poteſt, niſi prius id mereatur. Ergo juſtitiae ordo perturbaretur, ſi juſtorum Mentes, quibus pro virtutum meritis praemia largitur, in nihilum Deus aliquando redigeret.

Quod vero ad improborum poenas ſpectat; hae quidem etiamſi fine careant, leviores tamen ſunt admiſſis ſceleribus. Peccatum enim licet *quanti-*

tate

tate finitum ſit, utpote actio phyſica a finita cauſſa promanans, at vero *qualitate* & ordine infinitum omnino eſt, atque interminatum. Nam ordinem injuriae ab ordine & dignitate offenſi metiri debemus: hinc pervulgatum illud adagium: *honor eſt in honorante, offenſio in perſona offenſa*. Cum vero Deus infinito intervallo excedat hominem injuriam irrogantem; quis dubitabit, quin peccatum infinitam in ſe malitiam comprehendat? Quamobrem ſi culpae qualitatem metiaris, non modo per ſummam juſtitiam, ſed etiam *citra condignum*, ut ajunt, aeterna poena punitur peccator; quippe cum ea malum eſt phyſicum, nunquam poteſt attingere injuriae irrogatae rationem, quae infinito ſpatio ab ipſa diſtat.

Objiciunt II. Immortalitatis deſiderium non ab intima Mentis natura effloreſcit: ſed nimium ſui amans homo ſe ſibi immortalem fingit. Ergo ex deſiderio, quod temere a natura inſitum ſtatuitur, nullum immortalitatis argumentum efficitur. Quod nobis natura indidit propriae conſervationis appetitus eſt: id autem commune habet homo cum brutis, ceteriſque rebus, quae ſui ſenſum habent. Nimirum quodcunque animal natura ſuadente ſibi commendatur ad ſe conſervandum, atque alienatur ab interitu iiſque rebus, quae interitum videntur afferre. Atqui hujuſmodi appetitus ab immortalitatis deſiderio quam maxime diſtinguitur; diſtinguitur autem, quippe illud perennis exſiſtentiae voluptate allectus, & fervida abreptus imaginatione, ſibi homo creat. Immortalitatis igitur votum non eſt a natura conſignatum, ſed ab homine confictum. Ergo

 Re-

Reſpondeo appetitionem nobis a natura ingeneratam non eſſe ad vitam ſervandam duntaxat, ſed ad vitam beatam aſſequendam. Nimirum niſi qui homo eſſe deſierit non experitur ſe naturae impetu eo contendere, ut non falli, non perturbari, non mori vehementer appetat. Tria ſunt haec humanae naturae ſuſpiria, quae ſingulae hominum actiones manifeſtiſſime produnt. 1. Inſatiabilis enim veri videndi cupiditas, & ne fallamur appetitus unumquemque noſtrum tenet. Si hanc cupiditatem ab hominum animo evellas, quidquid ſcientiarum eſt ab hominum ſocietate eripias oportet. 2. Unuſquiſque habere quod velit, nec pati quod nolit, vehementer connititur. Tolle hunc appetitum, & hominum induſtriam, molitiones, labores, artes, & regna ſuſtuleris. 3. Interitum unuſquiſque horret, & ſibi non modo carus eſt, verum etiam vehementer carus. Nam ſine vita quocunque bono frui nec licet, nec lubet [a]. Atqui haec tria humanae naturae vota ex

---

[a] *Totum hoc ab Auguſtino fuſius & enucleatius diſſeritur, quem vide in* Lib. XIV. De Civ. Dei Cap. XXV. *atque alibi, tum* De Trin. Lib. XIII. Cap. IV. *& ſeq. Heic unum exſcribimus ex* Lib. IV. De Trin. Cap. I. Sed quoniam exſulavimus ab incommutabili gaudio, nec tamen inde praeciſi atque abrupti ſumus, ut non etiam in iſtis mutabilibus & temporalibus aeternitatem, veritatem, beatitudinem quaereremus: [nec mori, nec falli, nec perturbari volumus] miſſa ſunt

ex beatitudinis appetitione veluti rivuli ex fonte dimanant. Altas igitur radices agit in hominum animos ab ipſo naturae auctore conſignatus beatitudinis appetitus.

Jam porro beatus non erit homo, etiamſi mori, falli, & offendi non poſſit; verum oportet, ut iſtorum omnium perpetuam ſtabilitatem certiſſima veritate noſcat; ſecus enim tanti boni amittendi timore ac dolore torqueretur. Beatitudinem igitur nunquam deſituram veluti proprium ſibi ab auctore naturae conſtitutum finem homo appetit. Quamobrem cum hujuſmodi ſit Providentiae ordo, quem in praeſenti rerum conditione Deo praefinire placuit: noſtrae Mentis immortalitatem inde recte concludentes colligimus. Si ſemel enim ab immortalitatis ſpe decidimus, vehementi deſiderio, quod nunquam explendum ſit, miſerrimi vexabimur.

Objicitur III. Homo totus immortalem ſe eſſe deſiderat: nimirum etiam corporis vitam ſervari anhelamus. Atqui hujuſmodi deſiderium irritum eſt, quod ad corpus attinet. Ergo nihil prohibet, quominus inane etiam ſit reſpectu habito ad Mentem.

Reſpondeo 1. Deſiderium immortalitatis proprium eſt Mentis, minus autem corporis inertis, cui deſiderium nulla poteſt ratione competere.

 Emer-

ſunt nobis divinitus viſa congrua peregrinationi noſtrae, quibus admonemur, non hic eſſe quod quaerimus, ſed illuc ab iſta (*nim. peregrinatione*) eſſe redeundum, unde niſi penderemus, hic ea non quaereremus.

Emergit enim illud ex beatitudinis voto, quod medullitus in creatura intelligente infixum a natura eſt, ut ſuperius diximus. Beatitudo autem peculiari quodam ſenſu Mentis propria eſt.

2. Fatemur hominis deſiderium naturae voci conſentaneum illud eſſe, ut quantus quantus ipſe eſt ſit immortalis. At unde fiat, ut corporis vitae appetitus non expleatur, ſolo naturae lumine deprehendere nobis datum non eſt. Quamvis divinari licet, id forſitan poenam eſſe depravatae naturae, cujus corruptionem, latente illius origine, infelices in nobis ipſi experimur.

3. Verum etſi vitae corporis appetitus irritus eſt: haud propterea inanis etiam erit animi immortalitatis appetitio. Ejuſmodi enim radices haec egit in homines, ut quamvis corporis mortem certa ſcientia noverint, propriae tamen immortalitatis ſententiam ſibi extorqueri non patiantur. Unde porro tam firma animi perſuaſio, niſi ab ipſa natura, ſive potius naturae Auctore inſita fuiſſet? Non igitur fruſtra immortales eſſe homines appetunt.

CAPUT III.

De Mentis Eſſentia.

REi cujuslibet Eſſentia, ut alibi diximus, trifariam vulgo apud Philoſophos conſiderari ſolet; itaque ſi humanae Mentis Eſſentiam perſcrutari velimus, tria haec apte ſecernamus oportet.

tet. Si enim 1. Phyſica illius Eſſentia quaerenda nobis ſit, haec ſane proprietates omnes, Mentis actiones & paſſiones univerſas complecti debet. 2. Si Logica quaeratur, tum genus ſubſtantiae, ad quod illa pertinet, tum differentia, per quam a ceteris diſcriminatur, ſtatuenda eſt. 3. Quod ſi tandem Metaphyſicam exquiramus, proprietatem illam, quae aliarum ſit veluti fons & origo, & cetera omnia attributa antevertat, rimari debemus.

Porro tria haec definire res eſt non modo maximae diligentiae, verum etiam valde operoſa. Quî enim phyſicam Mentis eſſentiam aperire poterimus, cum nemo unus omnia omnino, quae Mentis propria ſunt, collegiſſe certo ſciat?

Logica vero, quae vulgo traditur Mentis Eſſentia, cum quid illa ſit explicatur, ad nominalem potius, ut ajunt, quam realem definitionem attinere videtur.

Metaphyſica demum obſcura prorſus eſt. 1. Neque enim omnia aſſequi licet Mentis attributa; quotus igitur quiſque erit, qui quod primas inter cetera obtineat, indice monſtraverit digito? 2. Eſto omnes Mentis proprietates cognitione complectamur: equidem princeps definiri non poterit; quippe ſaepe inter ſe ita connexae ſunt, ut alia aliam includat. 3. Tandem licet primum definiatur attributum, quis aliud huic non ſupponi certo ſciat?

Quaeſtio igitur de humanae Mentis Eſſentia, ut quae non modica obſcuritate laborat, in medio erit relinquenda? Minime gentium: experiri jubet animus, num aliquid ſaltem veroſimilius

extundere poſſimus; nam *fortuna fortes*, ut ajunt. In id igitur omnem noſtrarum cogitationum aciem intendamus; ut ex iis, quae de noſtra Mente in explorato habemus, ad propoſitae quaeſtionis veritatem detegendam veniamus. Ne autem rei obſcuritati orationis obſcuritas accedat; quem nunc aggredimur Conatum Philoſophicum in proximis Propoſitionibus proſequemur.

PROPOSITIO I. *Mentis humanae Eſſentia Metaphyſica in Senſu ſui ipſius collocanda videtur.*

Hujus rei demonſtratio pendet ex iis, quae comperta nobis ſunt quod ad Mentem attinet: ipſius igitur proprietates ad trutinam revocemus. Et 1. certo ſcimus, quod quidem perſpicuis argumentis nobis conſtat, ejuſmodi Mentem eſſe, tum ut ſimplex omnino, atque ab omni materiae compoſitione libera ſit; tum ut interitus immunis perenne aevum ducat.

2. Intimo experimento nobis liquet eam Menti ineſſe facultatem, qua percipiat, judicet, ratiocinetur, velit, nolit, appetat, refugiat, moerore & laetitia afficiatur, timeat, indignetur, &c.

3. Certo nobis conſtat (id enim intime experimur) praeter recenſitas facultates ſentiendi vi Mentem eſſe praeditam. Hujuſmodi autem facultas ex duplici ipſius termino in *extimum* & *intimum ſenſum* diſtinguere fas eſt. Eo Mens ſentit quaecunque extrinſecus corporis ſenſibus ſubjiciuntur: hoc autem ita ſibi ipſa conſcia eſt, ut & ſeipſam, & omnia, quae intrinſecus agit, aut patitur, perſentiſcat.

Jam vero ſi interiores Mentis receſſus, ac veluti latebras ſubire velimus, I. tria intimum Men-

Mentis ſenſum complecti deprehendemus, ſui ſcilicet exſiſtentiam, actiones, & paſſiones. Et ſane Mens 1. ſe ipſam exſiſtentem ſentit, atque ita hujus exſiſtentiae ſibi conſcia eſt, ut tum *numericam* atque *individuam*, quae ſcilicet ad ſe ipſam duntaxat terminetur, tum circumſcriptam & limitatam, tum denique *dependentem*, quae nimirum ſibi non ſufficiat, eam eſſe perſentiſcat.

2. Sentit ſe agentem; cum enim ipſa ſit, quae agat, nequit ſibi conſcia non eſſe eorum omnium, quae operatur. Quamobrem ſe ipſam ſentit ſibique conſcia eſt, ſive percipiat, judicet, ratiocinetur, ſive appetat, averſetur, doleat, laetetur &c.

3. Tandem cum ipſa patitur, ſuarum paſſionum conſcia ſe iis obnoxiam ſentit: quae quidem aut impreſſiones ſunt externae tam jucundae, quam moleſtae, aut internae tam innatae, quam factitiae.

II. Ex hoc ſenſu proficiſcitur Amor ſui, quo nimirum Mens conſervari, perfici, beari tota connititur. Nam vix ubi Mens ſe exſiſtentem ſentit, ſentit etiam ſe conſervationis, & beatitudinis indigere. Cum autem id ſibi convenire, aptum, imo & neceſſarium eſſe perſentiſcat; ad id appetendum pro viribus contendit.

III. Hujuſmodi ſui Senſus, atque inde exoriens ſui Amor perpetuus eſt. Nam 1. cum ſemper adſit objectum, quod ſentitur, perpetuum huic reſpondere ſenſum plane conſtat. Atqui Mens ſibi ipſa ſemper adeſt. Seipſam igitur perpetuo ſentiat neceſſum eſt.

2. Hoc Senſu ſui ipſius exſiſtentiam Mens no-

vit. Sed perpetua exſiſtentia perpetuum actum exigit. Perpetuus ergo in Mente ſenſus.

3. Senſus hic ceteras omnes & actiones, & paſſiones Mentis comitatur. Atqui Mens nunquam non agit, aut patitur. Perennis ergo ſenſus Mentem afficit.

Quae autem Senſus perpetuitatem adſtruunt, eadem & Amorem, ſeu Appetitum perennem eſſe ſuadent. Nam 1. ex animadverſis Mens ſenſu ſui ipſius ſemper afficitur. Atqui ſenſus hic Menti commonſtrat, quo perveniendum ſit. Eo igitur ſemper tendat Appetitus oportet.

2. Menti ſemper praeſto eſt, quod in ſe aut jucundum, aut moleſtum ipſa ſentit. Id igitur Mens ſemper amore, aut odio proſequitur. Cum autem id amat, aut odio habet, ſeipſam diligit. Ergo.

3. Rationem tum boni, quod adeſt, tum boni, quod deeſt, in ſe perpetuo Mens apprehendit, ſive potius experitur. Ergo perenni motu Mens appetit, aut averſatur.

Atque hinc derivatur mira illa Senſum inter atque Amorem Mentis connexio, ut alter idearum fons ſit, & origo, alter vero affectuum omnium ſemen & radix. Sed de his mox ſermo inſtituetur.

Haec quae hactenus intimos noſtrae Mentis receſſus ſcrutati rimari potuimus, viam munire mihi videntur, qua Metaphyſicam illius Eſſentiam deprehendere liceat. Rei enim alicujus Metaphyſica Eſſentia dicitur proprietas illa, quae prima occurrit, & prima concipitur, quae cetera omnia rei ipſius attributa complectitur, quae tandem illorum radix eſt, & fundamentum. Atqui hujuſ-

juſmodi characteres prae ſe gerit Mentis Senſus. Ergo.

Re ſane vera 1. id prius, id antiquius, id ſimplicius in Mente eſſe dicendum eſt, quod ceterarum proprietatum criterium ſit: quo nimirum diſcernitur, num aliquod Menti inhaereat attributum, necne. Atqui id Senſus praeſtat. Ergo. Neque enim aliter Mentis noſtrae proprietates deprehendere licet, quam ſenſu: quo nobis ipſi eorum omnium conſcii ſumus, quae nobis ineſſe intime experimur.

2. Id veluti fundamenti loco in Mente habendum eſt, quod ceteris omnibus ſive actionibus, ſive paſſionibus quaſi ſubſternitur: Talis autem eſt Senſus intimus, ut qui proprietates omnes antevertit. Prius enim, quam agat, aut quidpiam Mens patiatur, jam ſeipſam ſentit. Ergo.

3. Ea proprietas in Mente ceteras complexa earum fons eſt & origo, quae nimirum virtute eas omnes comprehendit. Atqui Senſus omnium Mentis actionum comes eſt veluti individuus. Sive enim Mens percipit, imaginatur, judicat, ſive vult, appetit &c. ſemper ſentit, ſuarumque actionum conſcia eſt. In Senſu igitur ſui, quem Menti adeſſe intime experimur, Metaphyſica ipſius Eſſentia collocanda eſſe videtur.

At enim inquies: Metaphyſica Mentis Eſſentia in Cogitatione permanente, ſive actuali intelligentia potius conſtituenda videtur. Haec enim eſt princeps illa & praecipua proprietas, cui ceterae omnes innituntur. Nam ſola poſita Intelligentia Mens ſtatim concipitur exſiſtens;

qua

qua ſublata nulla eſt : contra vero ſublato Senſu , Mens tamen ſi intelligat , eſſe concipitur . Eadem praeterea omnium attributorum radix eſt; ſive enim Mens ſentiat , ſive percipiat , judicet, ſive velit , ſemper eſt intelligens; atque ut Mens intelligat , neceſſum non eſt , ut ſingularem quemlibet hujuſmodi actum producat . Ergo.

Reſpondeo . Actualis intelligentiae nomine , niſi Senſus ſui accipiatur , ne comprehendi quidem poſſunt quaecunque de ea praedicant Carteſiani . Quis enim 1. cogitatione complecti poterit Mentem intelligentem , quae ſeipſam intelligere non ſentiat? Nulla quidem dici poteſt rei alicujus intelligentia , niſi quae ita Menti ineſt, ut ipſa ſibi conſcia ſit se intelligere.

2. Sublato Senſu quo pacto Mens exſiſtere concipi poſſit , nullus video . Si enim ſe intelligere Mens non ſentiret , haud ſibi perſuadere poſſet , quod exſiſteret.

3. In ſenſu ſui radices agunt ceterae Mentis facultates; ille enim eas omnes complectitur duplici ratione . Neque enim percipere, reminiſci, judicare , velle &c. ſine earum actionum ſenſu Mens poteſt; tum etiam niſi Mens ſentiret, neque percipere, judicare, meminiſſe, & velle poſſet . Idearum enim omnium, judiciorum, atque appetitionum Mentis nativus fons eſt Senſus ſui; unde nimirum ideas , atque ex ideis judicia , aliaque ſibi Mens cudit .

Auctarii loco heic addere abs re non eſſe puto, novam non eſſe , quam de Mentis Eſſentia Metaphyſica amplexi ſumus ſententiam . Eam enim jampridem Tullius ; & nuper Cll. Viri

Ar-

Arnaldus, Deneslius, & fortaſſe alii licet παρέργως [*obiter*] tradidere. Tullius quidem apertiſſimis verbis Mentem ſenſilem ſubſtantiam eſſe pronuntiat. Ait enim: [*a*] *Mens ipſa, quae ſenſuum fons eſt, atque etiam ipſa ſenſus eſt, naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus movetur*. Arnaldus vero (cujus verba legeſis inferne [*b*] adnotata) eo diſcrimine intelligentes ſubſtantias a ceteris ſeparari exiſtimat, quod illae ſui conſciae ſint, aliae vero non item; atque alibi addit, conſcientiam atque intimum ſui ipſius ſenſum Mentis eſſentiam conſtituere. Deneslius tandem Mentis eſſentiam in eo ſitam eſſe ait, quod intimum ſui ipſius exſiſtentiae ſenſum habeat; atque inde univerſas illius actiones originem ducere ſubnectit. Ipſius verba in extrema ora paginae reperies. (*c*)

PRO-

---

[a] *Lib. IV. Acad. cap. X.*

[b] *C'eſt par là principalement, ce me ſemble, que l'on doit diſtinguer les eſtres intelligens, de ceux qui ne le ſont pas, de ce que les primiers* ſunt conſcia ſui, & ſuae operationis, *& les autres non*. Des vrayes & fauſſ. Idées chap. II.

Il y a lieu de croire quae Dieu en créant l'ame lui a donné l'idée d'elle même, & que c'eſt peut eſtre cette penſée d'elle même, qui fait ſon eſſence. Car rien ne paroiſt plus eſſentiel à l'ame, que d'avoir la conſcience & le ſentiment interieur de ſoy même. loc. cit. chap. XXVII.

[c] *L'Ame humaine eſt créée avec le ſentiment intime de ſon exiſtence: voilà ce qui lui eſt eſſentiel*

PROPOSITIO II. *Mens quamdiu vivit perenni cogitatione praedita eſt.*

Ex his, quae de Senſu Mentis delibavimus, plane efficitur ipſam nunquam non cogitare. Cogitationis enim nomine, qua perpetuo Mentem praeditam eſſe pronuntiamus, non intelligimus ſingulares ipſius cogitationes, hanc ſcilicet vel illam peculiaris objecti perceptionem, hujus aut illius rei judicium, ratiocinium, ſive volitionem. Ita enim Mens haud ſemper cogitat; quamvis fere nunquam aliquo hujuſmodi actu, ſeu paſſione deſtituatur. Sed cogitationis nomine accipimus ſenſum ſui, atque amorem ſui ipſius; quibus Mentem ſemper affici is quidem in dubium vocaverit, qui interiorem conſcientiam conſulere nolit.

Demonſtratur I. Mens eſt ſenſilis, vivens, atque activa; quod quidem ipſamet interiori conſcientia conſtat, per quam experimur nos ſentire, vivere, & vi agendi pollere. Atque 1. ſenſilis eſſe nequit, niſi perpetuo ſui ſenſu afficiatur. Quî enim fieri poſſet, ut ſui ipſius actiones, aut paſſiones Mens ſentiret, niſi nunquam intermiſſum ſui ipſius ſenſum haberet? 2. Vivens autem ne concipi quidem poteſt ſine perenni motu *in se a se*, ut ajunt, h. e., ut ex Platone reddit Tullius, *motu interiore & ſuo*; in quo vita ſita eſt,

tiel pour être une ſubſtance ſpirituelle. Toutes les opérations ou pensées de l'ame partent de ce point, & prennent leur ſource dans cette operation primordiale. Le Préjugés de Philoſ. ſur la nature de l'Ame T. I. chap. XXIII.

eſt, ut alibi diximus. 3. Activa tandem eſſe non poteſt, niſi actu primo, h. e. appetitu innato praedita ſit, quo ad peculiaria quaeque deſcendat. Quamobrem ſi Mens ſenſu & amore ſui ſemper afficitur, ſi quamdiu exſiſtit, ſemper vivit, perenni ſcilicet & continuata actione praedita eſt; nunquam ſine cogitatione erit.

II. Hiſce vinculis Mens corpori copulatur, ut quaecunque motiones, ſive interiori, ſive exteriori cauſſa in corpore excitantur, eas Mens ſentiat. Atqui 1. perennes ſunt motus pulmonum, cordis, ſanguinis, ceterorumque, unde corpus creſcit ac nutritur. 2. Fere nunquam deſunt rerum externarum impulſiones, quibus tum hic, tum ille corporis ſenſus afficitur. Quoad igitur Mens corpori conjuncta vivet, ſine ulla cogitatione eſſe non poteſt.

III. Perennem noſtrae Mentis cogitationem arguit inſitus ille, quem quiſque experitur, appetitus, ut ſemper ad aliquid agendum etiam nullo emolumento invitati rapiamur. In hanc ſententiam plura ſcribit Tullius, & *plane perſpicua, nec dubitanda indicia naturae in homine* eſſe ait, *ut appetat animus aliquid agere ſemper, neque ulla conditione quietem ſempiternam poſſit pati* (*a*).

Verum Joannes Lockius, qui (*b*) Carteſianam opinionem de perenni Mentis cogitatione multis profligare conatur, tria potiſſimum objicit, unde aperte colligi ait, quod temere adſeritur Mentem nun-

---

[a] *Lib. V. De Fin. cap. XX.*

[b] *Eſſai Philoſ. de l' Entend. Hum. Liv. I. chap. I.*

nunquam non cogitare. 1. Enim interiori experimento conſtat Mentem non cogitare, cum ſopore correpti dormimus. Si enim cum nos ſomnus complectitur, Mens noſtra cogitaret; earum cogitationum nobis ſupereſſet memoria.

2. Perpetua etiam in ſomnis cogitatio ex uno eodemque homine duos homines efficeret. Homo enim dormiens nulla cogitationum, quas vigilans habuit, conſcientia afficitur. Atque idem vigilans eorum, quae dormiens cogitavit, ſibi conſcius non eſt. Eadem igitur Mens duas perſonas ſuſtineret; quo nihil abſurdius.

3. Puellos ſive in matris utero adhuc concluſos, ſive prima infantia nihil cogitare ipſa experientia docet.

Reſpondeo: ſi cogitationis nomine rerum perceptiones, judicia, ratiocinationes &c. Lockius accipiat, nemo unus negaverit, fieri interdum, ut Mens non cogitet. Eos ſane, quibus perennis Mentis cogitatio probari non poteſt, haec fallit opinio, quod ſibi perſuadeant Mentem non cogitare, niſi cum rem aliquam contemplandam ſibi proponit, rerum ſcilicet ideas percipit, de ipſis judicat, ratiocinatur &c. Quae quidem cum in infantibus, & ſomno correptis locum habere non videant, in ipſis Mentem cogitatione deſtitui arbitrantur. Verum ſenſus ille, quo intime Mens afficitur, & quo corpus, cui conjungitur, ſentit, Mentis cogitatio eſt, quin etiam inter ipſius cogitationes potiſſimum locum obtinet.

Porro hoc ſenſu cum ſomnus nos occupat, Mentem non carere plura probare videntur. 1. Exploratum eſt, quod ſi corpus morbo aliquo la-

bo-

borat, quo vehementior ille eſt, eo magis intermiſſo ſomno vexamur. 2. Itidem conſtat moleſtum potius, quam ſuavem eſſe ſomnum, quem dura cubantes humo, aut lecto non molli capere contingat. 3. Tumultus, ſtrepitus, lux, quae ex improviſo affulgeat, praeſertim cum non tam gravis ſomnus nos urget, in cauſſa ſunt, quare expergiſcamur. 4. Nonnunquam uſuvenit, ut ſi dormientibus nobis noſtri corporis ſenſus externis objectis afficiantur, de iis ſomnium facere videamur. 5. Momentum illud, quo ſomnum capimus, ab eo, quo expergiſcimur, apte diſtinguimus; neque ea ſibi immediate ſucceſſiſſe ſentimus.

Jam vero haec aliaque hujuſmodi evenire non poſſe, niſi ſenſu etiam in ſomnis afficeremur, plane liquet. Mens igitur, cum dormimus, ſuo ſenſu non caret: quamvis non aeque vividus ille ſit, atque cum vigilamus. Per ſomnum enim fibrae cerebri nervique omnes laxantur, & ſuccus nerveus veluti torpore corripitur; propterea ex vi conjunctionis, qua Mens cum corpore conſociatur, & ipſius Mentis ſenſus torpidus eſt ac languidus. Unde quidem proficiſcitur, quod ſomno correpti nullo fere ſenſu affici videamur.

Haec autem ſatis eſſent, ut adverſus Lockium humanae Mentis cogitationem etiam per ſomnum oſtenderent. Joannes enim Clericus, qui in hac re Lockium ſecutus eſt, fateri non dubitat, Mentem, *quamvis ſit ſaepe ſine ratiocinatione, at non eſſe ſine ſenſu quopiam corporis ſui; ac proinde ſine cogitatione, etiam in arctiſſimo ſomno*. Licet deinde ſubnectat, quod *ſemper eum nobis adeſſe nemo invi-*

invicte probarit [*a*]. In quo ſane majorem ipſius diligentiam deſideramus.

Verum ut Lockii objectionibus locus detur, reſpondemus 1. Inſomnia, in quibus longas plerumque ratiocinationes perteximus, & multi quandoque nova quaedam addiſcunt, inveniuntque, argumento ſunt, Mentem per ſomnum etiam cogitare.

2. Falſum eſt nos nunquam reminiſci eorum, quae in ſomnis cogitavimus. At non ſemper reminiſcimur? fatemur equidem. Verum perſaepe fit, ut ne recordemur quidem eorum, quae vigilantes per diem cogitamus; mirum igitur non eſt, ſi cogitationum, quas ſomno ſepulti habuimus, oblivíſcamur.

3. Explorata res eſt, Mentem clarioribus ideis magis abripi, & vividioribus ſenſationibus affici. Atqui ſenſationes per ſomnum torpentes, & aliquantum ſtupidae ſunt. Hinc igitur fit, ut Mens e ſomno ad vigiliam tranſiens illis non amplius attendat, atque earum non recordetur.

4. Falſum eſt, quod de duplici perſona obtrudit Lockius, cum perſona *identitati conſcientiae* non innitatur, ut ipſe comminiſcitur. Id enim perinde abſurdum eſt, atque abſurdum eſſet dicere, quod unus idemque homo duplicem perſonam prae ſe gerat, ſi quidem nullam memoriam habeat nullamque conſcientiam eorum, quae antea cogitaverit.

5. Tandem infantes cogitare aperte oſtendunt ſitis, famis, doloris, voluptatis &c. ſenſationes, qui-

[a] *Pneumatol. ſect. I. cap. II.*

quibus eos affici ne Lockius quidem diffitetur. Illae enim ſine Mentis intelligentia & ſenſu intimo eſſe non poſſunt, ut cuique patet.

PROPOSITIO III. *Eſſentia Phyſica Mentis in proprietatum, quarum ipsa ſibi conſcia eſt, collectione ſtatui poteſt.*

Demonſtratur. Eſſentiam Phyſicam vocamus proprietatum omnium σύϛημα (*collectionem*) quae reapſe rei cuilibet inſunt. Atqui nulla eſt in Mente proprietas, nulla facultas, quae Mentem fugiat, quam ipſa non ſentiat, cujus ipſa ſibi conſcia non ſit. Si Mens igitur rationem ineat eorum omnium, quae ſibi ineſſe perſentiſcit; ſi ſenſui duntaxat attendens apte diſcernat ea, quae ſentit & ſcit, ab iis, quae imaginatur, & putat, ſui ipſius Eſſentiam phyſicam perſpectam habebit.

Ceterarum quidem rerum Eſſentia phyſica incomperta nobis eſt; quippe cum illae corporis ſenſibus ſubjiciantur, fieri nequit, ut omnes omnino proprietates, interiores praeſertim, quae ſenſuum vim effugiunt, inveſtigentur. Hinc eſt quod repetitae obſervationes, rurſus inſtituta diligentiori quidem cura experimenta non pauca nobis rerum aperiunt attributa, quae antehac incognita deliteſcebant.

Verum ut Mens ſeipſam intueatur, ſuaſque proprietates cognitione aſſequatur, exterioribus non indiget ſenſibus; ſed ſatis eſt ut interiori ſe cernat obtutu, ſuique ſenſum fidiſſimum ſuarum omnium proprietatum interpretem attende conſulat. Si qua enim Menti ineſſet facultas, quae Menti lateret; jam illa hujuſmodi proprietatis

ſenſu deſtitueretur. Mens igitur ſenſilis non eſſet. Atqui ſenſu ſui praeditam eſſe & experimur, & vita ipſa, quam vivit, omnino poſtulat. Nihil igitur Mens agit, nihil patitur, nihil inſitum habet, cujus ſibi conſcia non ſit. Ergo phyſica illius eſſentia earum proprietatum erit complexio, quas ſenſu ſui Mens ſibi ineſſe experitur.

Ut autem tum his, quae hactenus diſſeruimus, major lux accedat, tum quibuſcunque difficultatibus occurramus; nonnulla animadvertenda proponimus. I. Senſum illum, quo perpetuo Mens afficitur, interdum veluti obdormiſcere, languidum ſcilicet & obtuſum experimur. Ejuſmodi enim eſt, ut aliis tam internis, quam externis ſenſationibus longe vividioribus veluti obruatur. Atque hinc proficiſcitur, ut ea, quae forinſecus ſentimus, potiora ſint iis, quae lento quodam niſu intrinſecus experimur.

II. Conſcientia a Reflexione quam maxime diſtat. Non ſemper ad ea Mentis aciem reflectimus, quorum nobis ipſi conſcii ſumus. Finge tecum quemdam colloqui per aeſtivum tempus ſecus ſalientis aquae rivum. Illum certe intueri, & audire, caloris aeſtum experiri, & fluentis aquae ſtrepitum auribus excipere tibi conſcius es. Ad haec autem omnia haud te animo perinde attendere perſentiſcis, ac Mentem ad loquentis verba reflectis.

III. Attentio igitur Intelligentiae propria eſt, neque aliquid cum Conſcientia commune habet. Plerumque enim fieri ſolet, ut iis non attendamus, quae nobis interius uſitata, recepta, & familiaria ſunt. Heic autem, ne vocis ambigui-

tas

tas nos ludat, ſecernenda eſt Attentio, quam *directam* vocare licet, a *reflexa*. Illa quidem Conſcientiae comes eſt individua: hac vero ipſa perſaepe caret. Mens enim conſcia dici nequit tum ſui ipſius, tum eorum, quae intime ſentit, niſi ad ea attendat. Nullus quidem doloris, ex. gr. aut voluptatis ſenſus Menti ineſt, neque illius conſcia eſt, ſi illum Mens non attendat.

Verum hujuſmodi attentio, quae a Conſcientia nunquam divellitur, ab ea diſtinguitur, quae Intelligentiae peculiaris eſt. Haec enim reſpicit tum objectum, tum actum ipſius Mentis, quo illud ſentit. Nimirum Mens, cum ſibi ipſa conſcia eſt ſe aliquid ſentire, aut percipere, attentionem ſuam ad ipſius objecti ſenſionem reflectit; ita quidem ut objectum quod ſentit, ſive percepit, & objecti ſenſionem ſive perceptionem expendens, in ſeipſam, h. e. in actus ſuos reflectatur.

IV. Senſus intimus ejuſmodi eſt, ut licet quaecunque intrinſecus Menti inhaerent attingat, haud tamen ſemper ea diſtinguat. Unde quidem oritur, ut quae in aliis reapſe comprehenſa deliteſcunt, quamvis inter ſe minime diſtincta vere in ſeipſa Mens ſentiat. Eorum quidem diſtinctio opus eſt Mentis, quatenus intelligens, non quatenus ſentiens eſt.

Ita ex. gr. cum beatitudinis appetitum in nobis ipſi ſentimus, immortalitatis, & immenſi boni fruitionis deſiderium in eo concluſum reapſe ſentimus; quamvis inter ſe diſtincta non ſentiamus.

Atque ut id clarius fiat, animadvertatis volo,

quod

quod facultas illa, qua quaecunque corporis ſenſibus ſubjiciuntur Mens perſentiſcit, ſit ipſius attentio ad motiones, quas rerum externarum ictus in corpore exciverunt. Quod quidem vel inde colligere licet, quod ſi Mens corpori non attendat, alio ſcilicet intenta, nullas omninò ſenſationes excipiet. Porro cum hujuſmodi in ſeipſa Mens proprietatem, h. e. attendendi facultatem experitur; licet confuſe, vere tamen ſentit univerſas, ut ita inquam, hujus facultatis modificationes. Adeo quidem, ut ſi quid novi per ſenſum extimum experiri contingat, haud novam facultatem, cujus antea conſcia non erat, ſibi ineſſe deprehendat: ſed novos duntaxat hujus facultatis actus adquirat. Enimvero ſi praeter eos, quos noſtro corpori natura attribuit ſenſus, alius nobis daretur; Mens quidem ut ad hunc corporis ſenſum rerum externarum appulſum ſentiret, novae facultatis non indigeret; quippe eàdem attentione, qua ſentit, quae per viſum, guſtatum, auditum &c. ipſi adveniunt, ſentiret & quae novum hunc ſenſum afficerent.

Objicitur I. Mentis Eſſentia Phyſica in proprietatum omnium collectione, quarum ſibi Mens conſcia eſt, recte ſtatueretur, ſi nihil Menti ineſſet, quod ipſa non ſentiret. Atqui exploratum non eſt praeter ea, quae ſentimus, non aliud in Mente deliteſcere. Ergo.

Senſus equidem ſequitur experimentum. Niſi enim dulce aut amarum guſtando aliquid experiri olim licuiſſet, hujuſmodi mihi inhaerere facultatem nullo pacto ſentirem. Ita ſane oculis, aut auribus a nativitate capti, qui nunquam colores ullos

ullos viderunt, neque ſonitus audiere, ne ſuſpicantur quidem ſuam Mentem ejuſmodi ſenſationem habere poſſe, quam prorſus ignorant. Ergo tum demum nobis intelligere datur aliquam noſtrae Menti ineſſe facultatem, cum ea ſemel ſaltem uſi ſumus. Atqui incompertum eſt, num omnes omnino facultates in exercitium eductae ſint. Ergo.

Reſpondeo. Pugnantia ſecum componere mihi videntur, qui Mentem ſui ipſius ſenſu praeditam eſſe, atque eamdem non omnia, quae ſibi inhaerent, ſentire pronuntiant. Eſto enim Mens proprietatem aliquam in ſe ſentiat, cujus antea ſibi ipſa conſcia non erat: ſciſcitari lubet adverſarios, num ea denuo Menti adjuncta antehac ipſa carebat; an vero illa in quodam Mentis receſſu abdita ita latebat, ut, cum veluti foras proſiluit, tum demum eam Mens ſenſerit. Si primum ſtatuant: id ſane nihil noſtra intereſt. Num enim aliis Mens proprietatibus exornari queat, curioſa potius, quam utilis quaeſtio eſt; neque inficiamur fieri poſſe, ut nova illi Deus addat attributa. Atqui non quae habere poſſit, ſed quae revera Mens habeat attributa, inveſtigare conamur.

Sin poſtremum admittant; Mens igitur, quam ſenſilem eſſe ultro fatentur, illius proprietatis ſenſu deſtituebatur. Atqui proprietas illa Menti inhaerebat. Si igitur illa Mentis ſenſum non ſubibat, neque Mens ſeipſam ſentiat neceſſum eſt. Quid enim ſui ipſius ſenſus, quo Mentem exornari nemo negat, niſi omnium, quae ſibi inhaerent, proprietatum ſenſus?

At enim caeci, & ſurdi videndi atque audiendi facultatem ſibi adeſſe non ſentiunt. Atque

heic adverſarii ſenſationum excipiendarum facultatem ab earumdem actibus, ſive objectis non apte ſecernunt. Qui enim corporis ſenſu aliquo deſtituuntur, eos quidem ſenſationes, quae ſenſu illo excipiuntur, non habere, neque ſibi earum conſcios eſſe comperta res eſt. At falſo adſeritur, quod facultatem ſibi adeſſe non ſentiant, qua, ſi ſenſuum organa aperta atque integra eſſent, ſenſationes illas haurirent. Id enim vel inde colligere licet, quod intercluſum ſenſuum aditum ſibi patefieri quam maxime optent. Neque enim lumine capti oculorum uſum expeterent, niſi videndi facultatem ſibi ineſſe ſentirent. Reapſe enim attendendi facultatem intimo ſenſu experiuntur, qua ſe ceteras ſenſationes excipere ſibi ipſi conſcii ſunt. Quod quidem paullo ante animadvertimus.

Objicitur II. Si ea eſſet noſtrae Mentis natura, ut per ſenſum intimum univerſas ipſius proprietates colligere daretur, nihil eſſet homini facilius, quam ſui ipſius cognitio. Atqui hanc difficilem eſſe oſtendunt tot Philoſophorum opiniones, qui inviſibilem ignem, ſubtilem aërem, harmoniam quamdam, atque aliud hujuſmodi Mentem eſſe ſibi perſuaſerunt. Ergo.

Reſpondeo. Quod ſumma Mentis cognoſcendae facilitas pari cum difficultate conſocietur, quamvis paradoxum eſſe videatur, maxime tamen perſpectum longeque veriſſimum eſt. Mentis enim cognitio ex interiori ſenſu pendet. Atqui quo magis hic exteriori praeſtat, eo liquidiora ſunt, quae interiori ſenſu percipimus. Nihil igitur homini ſui ipſius cognitione apertius eſſe fatendum.

Verum tantam ſui cognoſcendi facilitatem ingens

gens comitatur difficultas. Tres enim veluti ſui ipſius cognitionis infenſiſſimos hoſtes amice Mens complectitur, Senſum ſcilicet, Imaginationem, & Cupiditatem: quae adeo iter intercipiunt, ut ad diſtinctam ſui cognitionem pervenire Mens nequeat. 1. Ipſa enim, quippe natura cum corporis ſenſibus devincta, eiique culpa ſubjecta eſt, ita ſenſibilia intelligibilibus admiſcet, ut ne ſeipſam quidem, niſi omnino ſenſibilem ſe ſibi fingat, noſſe queat. 2. Rerum corporearum imaginibus aſſueta vel ipſa intelligibilia, niſi ſenſibili quadam ſpecie induta ſibi repraeſentare non poteſt. 3. Cupiditas tandem, qua ad ſenſus atque ad res corporeas fertur, tam arctis vinculis res corporeas, quae foris ſunt, cum Mente devinxit, ut eas ſecernere a ſe nequeat, quo ſe ſolam inſpiciat & agnoſcat. *Se Mens* igitur, ut Auguſtini verbis utamur, *ignorat cum ceteris, ſi cum ceteris se confundit; se dignoſcit a ceteris, ſi a ceteris ſe ipſam ſejungit.*

CAPUT IV.

De Idearum Natura & Origine.

QUam de idearum Natura, atque Origine aggredimur diſputationem adeo Philoſophorum inter ſe diffidentium opiniones implicuerunt, ut inter incerta eam eſſe recenſendam, atque in hac re *ἐπέχειν* (*judicium ſuſtinere*) oportere nonnullis videatur. Verum juvat, imo oportet Metaphyſi-

cae ſtudioſis ea proſequi : atque ex iis, quae a Philoſophis diſceptantur, veriſimiliora ſeligere. Ut enim Tullius (*a*) ad rem ait, *indagatio ipſa rerum tum maximarum, tum etiam occultiſſimarum habet oblectationem. Si vero aliquid occurret, quod veriſimile videatur, humaniſſima complectur animus voluptate.*

§. I.

De Idearum Natura.

UT ſingulis quaeſtionibus ſuos terminos circumſcribamus; quod de Idearum Natura quaeri poteſt ad id unum revocatur, num ſcilicet Ideae a Perceptionibus diſtinctae ſeparentur, necne.

Hac autem de re in utramque partem Seculo proxime elapſo & dicta ſunt & ſcripta multa. Malebranchius quidem cum id tanquam exploratum ſtatuiſſet, res objectas a Mente *per ſeipſas* percipi non poſſe, ſed per ideas quae illi intime conjunguntur: propterea ideas veluti quaedam entia, quae objecta repraeſentant, eſſe arbitratur. At contra Arnaldo rei objectae idea ejuſdemque perceptio unum idemque eſſe videtur. Hinc pluribus Malebranchii *entia repraeſentativa* refutat in Libro *de veris & falſis Ideis*.

Verum brevi res poteſt tota confici. Fieri enim ſolet, ut abſtruſis quaeſtionibus, quae a praeſtantiſſimis etiam viris vehementi ingenii contentione

(a) *Lib. IV. Academ. cap. XLI.*

ne agitantur, nonnihil interdum obſcuritatis offundat ipſa verborum implicatio; ita quidem, ut ſi ea evoluta explicentur, litigantium ſententiae verbis inter ſe magis, quam re diſſidere videantur.

Hinc 1. animadvertendum eſt, Ideam appellari imaginem illam, ſpeciem, formam, quae intime praeſens Menti eſt, cum ipſa objectum aliquod percipit. Objectorum autem nomine, quorum Ideae ſunt veluti exemplaria, ea omnia intelliguntur, quae Menti repraeſentata objiciuntur.

2. Perceptionis vocabulo accipitur Mentis attentio, qua objectorum imagines, ſive ideas ſibi praeſentes intuetur.

Jam vero ſi ejusmodi notio Ideae ac Perceptionis vocibus ſubjiciatur; tanto eas diſcrimine ſeparari unusquisque deprehendet, quantum actus ab ipſius termino diſtat. Ideae enim ſunt objectorum formae animo comprehenſae; illa igitur Mentis actio, qua ad eas imagines attendit, non eadem eſt, atque ipſa imago.

At ſi Perceptio definiatur Mentis actio, qua objectorum imagines ſibi repraeſentat: idem prorſus erit alicujus objecti idea, atque ipſius perceptio. Unus enim omnino actus eſt, quo ſibi rerum imagines praeſentes ſiſtit, ac quo easdem percipit: actus ſcilicet, qui & *repraeſentativus* ſit, & *intuitivus* ejusdem objecti, ut Scholarum more loquamur.

Nam 1. neque aliquid Menti *objective*, ut ajunt, praeſens eſſe poteſt, quod Mens non percipiat: neque aliqua poteſt Menti ineſſe perceptio, quae rei cujuspiam perceptae non ſit perceptio. 2. Quidnam Menti eſt intueri, niſi quid ſibi prae-

praeſens facere? Quid vero praeſens aliquid ſibi ſiſtere, niſi intueri? Menti igitur rerum intuitus, earumdem praeſentia eſt.

Verum quamvis inter Ideam & Perceptionem nihil interſit; binae tamen in eadem re diſtinguendae ſunt relationes. Perceptionis enim vocabulo potiori jure Mentis attentio deſignatur: idea vero ad objecti imaginem, quae percipitur, magis refertur.

§. II.

De Idearum Origine.

I. Quicunque inter veteres Philoſophos humanarum Mentium προὑπαρξιν (*praeexſiſtentiam*) docuerunt; hi quidem eas, antequam in corpus intraverint, in rerum cognitione viguiſſe putabant. Quapropter rerum omnium inſitas, & quaſi conſignatas in animis notiones (quas ἐννοίας vocant) nos habere autumarunt. Hinc apud ipſos nihil aliud eſt diſcere, niſi recordari. Ita ferme Platonis ſententiam exponit Tullius [a].

II. Verum Philoſophorum vulgus & potiſſimum Peripatetici humanam Mentem notionibus omnibus vacuam eſſe cenſent, & *raſae*, ut ajunt, *tabulae* prorſus ſimilem: in qua nihil inſcriptum ſit praeter id, quod a ſenſibus imprimitur: adeo quidem ut nullas Mens habeat ideas, niſi quas per ſenſus exceperit. Hinc celebratiſſimum apud ipſos

[a] *Lib. I. Tuſcul. cap. XXIV.*

ipſos effatum: *nihil eſſe in intellectu, quod prius non fuerit ſub ſenſu*.

Idearum vero originem ita fere explicant. Cenſent quidem res externas ejuſmodi veluti ſui ſimulacra emittere, quae illarum adeo ſint ſimilia, ut eas exacte imitentur. Haec autem minuta entia *ſpecies* vocant *impreſſas*, quippe quae primum in externis ſenſibus impreſſae excipiuntur. Hujuſmodi vero ſpecies e materiae ſinu eductae, utpote nimis craſſae, Menti, quae ſpiritualis eſt, jungi non poſſent. Eas propterea duplici artificio perpolitas quidquid corporeum eſt exſuere docent. Primum enim eas per imaginationem veluti defaecari ajunt: tum ab *Intellectu agente* ita edolari ac limari, ut *expreſſae* reddantur, atque ut ajunt *ſpiritualizentur*. Ita autem tenuiores, ac ſubtiliores effectae *Intellectui patienti* repraeſentantur, ut inde externarum rerum cognitio Menti comparetur.

III. His fere ſimilia ſunt, quae de Viſus natura olim commenti ſunt, atque ad Mentis cogitationes explicandas tranſtulere Democritus, Leucippus, & Epicurus. Ut enim viſus naturam declararent, e ſummis corporibus effluere ſemper ſimulacra corporum ipſorum, quae *idola* vocabant, eaque ſeſe in oculos noſtros inferre, atque ita fieri ſenſum videndi affirmabant. Porro eadem ratione cogitationem fieri cenſebant, ut praeter Plutarchum (a) tradit Tullius (b), qui de Epicuri idolis mentionem injiciens ait, *quorum incur-*

(a) *De placit. Phil. L. IV. c. VIII.*
(b) *Lib. I. de Fin. cap. VI.*

incurſione non ſolum videamus , *ſed etiam cogitemus* .

IV. Platonicorum opinionem , poſtquam Ariſtotelici florere coeperunt fere intermortuam, Renatus tandem Carteſius ſuſcitavit. Is enim Mentis ideas ita diſpertivit, ut alias adventitias, quae nimirum occaſione motuum , quos in ſenſibus externae res excitant, a Deo producuntur: alias factitias, quas ſcilicet, adquiſitas componendo , Mens effingit : alias tandem Menti inſitas atque innatas eſſe docuerit.

Porro quo ſenſu hujuſmodi ideae innatae intelligantur, neque ipſe ſibi conſtat Carteſius, neque qui Carteſio adſtipulantur ſecum conſentiunt. Carteſius enim eas naturales ideas a cogitandi facultate non eſſe diverſas docet : ſed earum cogitationum formas, quae neque ab objectis externis , neque a voluntatis determinatione , ſed a ſola facultate cogitandi proficiſcuntur . At idem Dei ideam neque effictam eſſe, neque effingi potuiſſe a Mente contendit , ſed a Deo ipſo eſſe in Mente conſignatam. Alii vero innatas appellant , quae nobis ubi conditi ſumus inſculptae , quoties attendit animus , ſemper praeſto ſunt . Alii contra non actualem rei notionem Menti a Deo conſignatam intelligunt, ſed facultatem quamdam nobis communicatam, qua vel leviſſima adhibita attentione mente complectimur, quae nobis *innata* dicuntur .

V. Peripateticorum ſententiam illuſtrarunt , novoque apparatu propoſuere plurimi recentiores, potiſſimum vero ſaepe laudatus Joannes Lockius; qui in eo totus eſt , ut nullas ſive ideas , ſive no-

notiones, quas vocant, *communes* nobis intime inſculptas eſſe oſtendat. E duplici autem fonte univerſas ideas, *Senſatione* ſcilicet & *Mentis Reflexione* proficiſci pronuntiat. Cum enim ſenſus ab objectis externis commoventur, diſtinctas rerum Menti adferre perceptiones ait, prout objecta in ſenſus agunt. Atque hinc nobis colorum, frigoris, caloris, ſoliditatis, &c. ideas comparamus. Praeterea actiones noſtrae Mentis, in quas Mens ipſa reflectitur, alias gignunt ideas, quas exteriores ſenſus nobis adferre non potuiſſent. Hujuſmodi ſunt ideae cogitationis, perceptionis, judicii, &c. (*a*)

VI. Nicolaus Malebranchius novam de Idearum origine opinionem invexit. Is enim (*b*) duo veluti explorata ſtatuit: tum rerum omnium, quas condidit, ideas in Deo comprehendi: tum etiam Mentibus hominum tam arctiſſime Deum conjungi, ut ſpirituum locus dici poſſit perinde, atque ſpatium inane locus eſt corporum. His autem ſtabilitis & fixis nullum eſſe dubitandi locum colligit, quin, ſi Deus velit, videre Mens poſſit ideas, quae creatas res in illo repraeſentant.

Quod autem hoc pacto rerum ideas communicare Menti Deus voluerit, his ille ſuadere conatur. 1. Quae Deus molitur, ea per ſimpliciſſimas ac facillimas vias operatur. Veriſimile igitur non eſt, infinitas totidem ideas, quot ſunt crea-

(a) *Eſſai de l' Entend. Humain Liv. I. II.*

(b) *Recherche de la Verité Liv. III. P. II. chap. VI.*

creatae Mentes, potius Deus producat, quam per ſe omnia illis patefaciat.

2. Rerum ideas in Deo Mentem videre, id ſane praeſtat, ut homines a Deo quam maxime pendeant: adeo quidem, ut *non ſimus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo ſit* (*a*). Atque eo reſpicitur, cum Deum eſſe, *qui docet hominem ſcientiam* (*b*), lucem eſſe, *quae illuminat omnem hominem* (*c*) in Sacris Litteris praedicatur.

3. Ideae, ut vocant, univerſales generis, ſpeciei &c. haberi non poſſent, niſi omnia entia in uno concluſa viderentur.

4. Idea Infiniti, quam fruſtra Mens haurit ex confuſa finitorum entium farragine, non alia ratione comparatur, quam quod cum Deo Mens ipſa conjungitur.

5. Ideae, quibus jucundae, aut ingratae perceptiones excitantur, in Mentem ipſam agunt. Atqui unus Deus Mentis noſtrae modificationes mutare poteſt. Noſtrae igitur ideae in Deo ipſo ſint oportet.

Hae ſunt fere omnium de Idearum origine ſententiae, *quarum*, [Tullii [*d*] verba uſurpare liceat] *quae vera ſit Deus aliquis viderit, quae veriſimillima magna quaeſtio eſt*. Ut autem inter eas dijudicemus, duo in primis ad trutinam revocanda eſſe perſpicitis; num ſcilicet cudenda- rum

(a) *II. ad Cor. III.* 5.
(b) *Pſ. XCIII.* 10.
(c) *Joann. I.* 9.
[d] *Lib. I. Tuſcul. cap. XI.*

num idearum Intellectus vim habeat, an vero eas duntaxat patiatur: deinde undenam ideas Mens hauriat, & an ſint quaedam ideae nobiſcum natae, quae ἀπ᾽ ἀρχῆς [*ab ipſa ſui origine*] in Mente ab auctore naturae conſignatae fuerint. Quae duo pro inſtituti ratione in proximis Propoſitionibus definiemus.

PROPOSITIO I. *Mens inſita vi rerum ideas procudit.*

Demonſtratur I. Intimo quiſque ſenſu perſentiſcit, quod ipſe ſibi rerum ideas effingat. Cudendarum igitur idearum facultas penes Mentem eſt. Quod quidem 1. vel inde colligitur, quod variae, quas Logici in ideis inſpiciunt affectiones, cum eas claras vel obſcuras, diſtinctas vel confuſas eſſe definiunt, nullum ſibi locum vindicare poſſent, niſi ipſius Mentis illae opus eſſent. 2. Adeo id compertum eſt, ut pleraſque ideas Mentem ipſam efformare unanimi conſenſione fateantur omnes. Et ſane immenſa idearum ſeges, quas *factitias* vocant, hujuſmodi facultate praeditam Mentem aperte arguit.

Id igitur unum in controverſiam revocatur, num omnes omnino ideas, primigenias potiſſimum, & quas *ſimplices* appellant, Mens ipſa condat; an vero, quaecunque ſit illarum origo, eas *paſſive*, ut ajunt, excipiat. Qui hanc facultatem Menti abjudicandum eſſe contendunt, illud opponunt, quod anticipatam rerum notitiam Mens haberet, ſi ſimplices ideas ipſa crearet.

Id autem ita ipſi concludunt. Ideae ſunt rerum formae, quae *objectivam* earum *realitatem* comprehendunt. Si eas igitur creare Mens poſſet,

ante

ante omnes ideas realitatem objectivam eorum contineret, quorum ſibi ideas comparat. Atqui objectivae rerum realitates non ſunt, niſi earumdem exemplaria, h. e. ideae. Ergo ante omnes ideas easdem ideas Mens comprehenderet; quod plane repugnat. Uno verbo, ignotae rei nulla efformari poteſt imago.

Verum nemo unquam eam Menti facultatem attribuit, ut prius, quam res cognoſcat, earum ſibi comparet ideas. Primigenias quidem ideas tum demum Mens efficit, cum res illas, quae hujuſmodi idearum ſunt objecta, per ſenſus aſſecuta fuerit. Idearum enim omnium procreationem ſenſus tum interior, tum exterior antevertit: adeo quidem, ut ſi quae ſint, quae duplici huic ſenſui non ſubjiciantur, nullas eorum ideas Mens efficere poſſit.

Itaque adverſarios noſtros id decepit, quod omnem Mentis cognitionem ex ideis proficiſci, & objecta niſi per ideas apprehendi non poſſe ſibi perſuaſerunt. Atqui uterque ſenſus tum intimus, tum extimus rerum notitiam Menti praebet, quarum ipſa deinde ideas ſibi efformat. Quod quidem perſpicuum fiet, cum de Idearum origine mox diſſeremus.

II. In hac re diſceptatio contentioque cum Malebranchio praeſertim nobis eſt. Atqui quaecunque ipſe in medium exhibet, & auctorem ſibi ipſum repugnantem arguunt, &, quod ad ideas attinet, agere Mentem potius, quàm pati ſuadent. Ergo.

Et 1. Malebranchius in ſui operis veſtibulo,

lo, (*a*) comparatione inter Mentis & Materiae proprietates inſtituta, non minimum inter eas analogiae intercedere ait. Quemadmodum enim materia duabus potiſſimum proprietatibus exornatur, *Extenſione* & *Mobilitate*, quarum altera varias induere figuras, altera moveri poteſt; ita Mentis duae ſunt facultates *Intellectus*, & *Voluntas*, quarum illa multas ideas, hac vero multas recipit *inclinationes*. Priores vero tum materiae, tum Mentis facultates in eo convenire ſubnectit, quod utraque mere paſſiva ſit, neque aliquam prorſus includat actionem. At poſteriores proprietates quamvis aliquid commune habeant, quam maxime tamen inter ſe diſcrepant. Conſentiunt quidem in eo, quod ut omnium materiae motuum, ita omnium naturalium Mentis inclinationum eadem ſit cauſſa, naturae ſcilicet Auctor. Differunt vero, quod Materia tota ſit actionis expers, nec motum vel ſiſtere, vel determinare, vel utcunque deflectere poſſit; contra vero Voluntas agit ex ſeipſa, & inclinationem ſive impreſſionem a Deo acceptam varie determinandi vim habet. Haec Malebranchius.

At haec ipſa, quam Mentem inter & Materiam inſtituit noſter auctor comparationem, tum quod ad ideas, tum quod ad inclinationes attinet, Mentem activam eſſe demonſtrat. Nam 1. propterea varias ſibi ipſa inducere formas materia nequit, quod varios ſubire motus ipſa per ſe non poſſit. Atqui Mentis inclinationes eaedem

 ſunt,

(a) *Recherche de la Verité Liv. I. chap. I.*

ſunt, ut placet Malebranchio, ac motus in Materia. Cum igitur ea Menti vis inhaereat, ut varie inclinationes determinet; vi etiam non deſtituetur, qua varias ideas procudat.

2. Mens humana ſimplex eſt, atque individua, neque diverſas inter ſe naturas coagmentatas complectitur. Ipſius igitur facultates haud ejuſmodi ſunt, ut reapſe inter ſe differant: ſed ad eamdem Mentem attinent, quae diverſis exornari facultatibus conſideratur, prout diverſos producit actus. Atqui Mentem activam eſſe, quod ad Voluntatis facultatem ſpectat, fatetur Malebranchius. Cur igitur, ſi intelligens conſideratur, activa non erit?

III. Malebranchius [a] ita de voluntate diſſerit. Mens noſtra inclinationem ſuam, qua erga bonum in genere fertur, in aliquod peculiare bonum determinare nequit, niſi eadem, prout excipiendis ideis apta conſideratur, hujuſmodi bonum prius cognoſcat. Voluntas enim, ut vulgo ajunt, caeca facultas eſt, quae ad res ferri nequit, niſi eas ipſi intellectus obtulerit; adeo quidem, ut inclinationes ſuas determinare Voluntas non poſſit, niſi Intellectum ſingulare objectum ipſi repraeſentare jubeat.

Atqui ex his neceſſario efficitur Mentem, quatenus intelligens eſt, activam eſſe. In eo enim ſita eſt auctore Malebranchio Mentis libertas, ut in ſingula objecta inclinationem, quam erga bonum in genere accepit, determinare queat. Atqui hujuſmodi inclinationem determinare nequit,

[a] *Loc. cit.*

quit, niſi ſibi objecta ipſa repraeſentet, ejuſdem Malebranchii ſententiâ. Ergo vim habet Mens, qua rerum ideas ſibi comparet. Atque id ex iiſdem Malebranchii dogmatis adeo neceſſario efficitur, ut ipſe parum ſibi conſtans idem aperte concluſerit. Vide inferius ipſiſſima illius verba *(a)*.

At enim objicit 1. Malebranchius *(b)*. Ideae reales habent proprietates, quibus diverſas res repraeſentant. Realem igitur habent *ὀντότητα entitatem*; & quidem excellentiorem, quam corpora. Ergo cudendarum idearum facultas non eſt, niſi mera creatio, quae eo nobilior eſt, quo magis Mundus intelligibilis materiali praeſtat. Atqui id creatae Mentis conditionem prorſus excedit. Ergo.

Reſpondeo. Summa ambiguitate laborat quod explorati principii loco a Malebranchio ſtatuitur. Quod enim ideae ſint *quid reale*, vere ac recte dici poteſt; ſi reale intelligatur quidquid poſitivum eſt, ſive abſolutum illud ſit, aut relativum, ſive ſubſtantia ſit, aut modus. Ita Ex. gr. numeros & figuras, numerorum ac figurarum relationes, corporum qualitates ſenſibiles eſſe *quid reale* dicimus: quia haec omnia, aliquo pacto exſiſtere *poſitive* concipimus in rebus numero finitis, figuratis, odoris, ſapidis &c. At ſi reale intelligas quod per ſe exſiſtit, propriam nimirum

 ha-

(a) *Loco ſuperius citato* §. *II.* La force qu' a notre ame de déterminer ſes inclinations, renferme donc néceſſairement celle de pouvoir porter l' entendement vers les objets qui lui plaiſent.

(b) *Liv. III. Part. II. chap. III.*

habet exſiſtentiam: temere dicitur hujuſmodi realitatem ideis convenire. Neque enim ideae ſunt entia *repraeſentativa*, qualia ipſe fingit, & Peripatetici comminiſcuntur, quae nempe ſint veluti quaedam ſpirituales ſubſtantiae ab ipſa Mente reapſe ſejunctae, quaeque per ſe ſubſiſtant. Ideae, quas ſibi Mens praeſentes ſiſtit, ipſius Mentis actus ſunt, & quidem intimi atque immanentes; Mentis ſcilicet modificationes, ſeu quos *modos eſſendi* appellant vulgo Philoſophi. Neque aliter ipſe Malebranchius ſe ideas accipere fatetur, cum [a] in duas claſſes Mentis ideas dividit; in *puras perceptiones*, & *ſenſationes*: atque illas neſcio quo pacto *leviter* [b] *Mentem modificare*; has vero non eſſe niſi *quaſdam eſſendi rationes* aperte ediſſerit; & propterea eas Mentis *modificationes* ſe appellare ſubnectit.

His porro intellectis unusquiſque deprehendit nihil cum creatione commune habere idearum effectionem. Creandi enim potentia Menti adjudicanda non eſt, ut novas ideas effingat, ut novos ſcilicet actus producat, ſeu novas ſibi tribuat modificationes. Quemadmodum nemo ſanae mentis dixerit creatione opus eſſe, ut varias Materia conformationes ſuſcipiat; praeſertim cum illae perinde in materia locum habeant, atque ideae in Mente, ut Malebranchio placet.

Objicit 2. Malebranchius. Rei cujuspiam imaginem

(a) *Liv. I. chap. I. §. II.*

(b) Les perceptions pures ſont, pour ainſi dire, ſuperficielles à l'ame: elles ne la pénetrent, & ne la modifient pas ſenſiblement.

ginem formare Mens nequit, niſi prius illam cognoſcat, h. e. niſi habeat illius ideam. Quorſum vero nova imaginis imago? Facultas igitur cudendarum idearum, quae Menti tribuitur, inanis prorſus eſſet.

Reſpondeo. Jam antea planum fecimus ideas a Mente effingi, cum res ipſae per ſenſum illi innotuerint. Idque magis perſpicuum fiet, cum idearum originem mox proſequemur.

PROPOSITIO II. *Ideae innatae, quo ſenſu a Carteſianis ſtatuuntur, nullae dantur.*

Demonſtratur. Innatae ideae vocabulum non modica ambiguitate laborat. Atqui quaecunque ſtatuatur ideae innatae notio, hujuſmodi ideas Menti praeſto eſſe omnino repugnat. Ergo.

Et I. Si quis *τὸ innatum* idem eſſe dicet, ac quod Menti praeſens eſt jam tum, cum ea exſiſtere coepit: is quidem Mentem in perenni idearum contemplatione, quae innatae dicuntur, jam a prima ipſius origine verſatam eſſe ſtatuit. Nemo autem, niſi ſuam conſcientiam prodere velit, ſe a prima uſque infantia *Dei*, *Entis*, *Virtutum*, *&c.* ideas praeſentes habuiſſe, neque unquam iiſdem caruiſſe adſerere audebit. Nulla igitur inter ſanae mentis Philoſophos de hujuſmodi innatis ideis agitari poteſt controverſia.

II. Quod ſi innatae intelligantur ideae, quae ita Menti inſitae ſunt, ut ubi ad eas Mens attenderit, continuo Menti ſeſe praeſentes offerant: id ſane quemadmodum fieri poſſit, explicatu perquam difficile eſſe videtur. Neque enim fieri poteſt, ut in ſeipſa conſignatas ideas diu Mens ignoret.

Nam 1. quid idea, niſi rei objectae imago, ad quam Mens attendit, ſive ut Arnaldo placet, ipſius objecti perceptio? Nequit igitur perpetuo Menti praeſto eſſe idea rei, quam perpetuo non percipiat.

2. Si Mens perpetuas ideas complectatur, ſaltem ſe eas complecti ſentiat neceſſum eſt; quippe idea ſine cognitione eſſe nequit; cognitio autem ſine intimo ſenſu ne fingi quidem poteſt. At ſi ideas Mens ſentit, iiſdem profecto ſimul attendere debet; ſecus enim earum conſcia eſſe non poſſet. Perennis igitur eſſet in Mente idearum perceptio. Atqui interiori conſcientiae refragatur, quod a prima ſui origine praeſentes ideas Mens habuerit. Ergo.

Nec jure quis illud objiciet, quod praeteritas rerum ideas memoria Mens comprehendat, easque complecti ſe ſentiat, licet iis non ſemper attendat. Quae enim memoria Mens cuſtodit non ita veluti recondita retinet, quaſi eaſdem ideas, quas olim praeſentes habuit, comprehendat. Nimirum memoria facultas eſt, qua rerum ideas Mens revocat, in quibus antea verſata eſt. Quod quidem eo facilius praeſtat, quo clariores ſibi rerum ideas comparavit, ac ſaepius eas ſecum ipſa volutavit. Hanc autem facultatem Mens profecto ſentit: at ſenſu minus vivido, quam qui ceteros ipſius actus comitatur.

III. Sin autem quis dixerit ſignificari facultatem hominibus inſitam, qua ideas, quas vocant innatas, nobis repraeſentare poſſimus: ita ſane innumerabilium rerum ideae innatae appellandae eſſent. Menti enim non minus inſita vis eſt,

qua

qua Dei, Entis &c. ideas format, quam facultas, qua lapidis, arboris, ceterarumque rerum ideas procudit.

IV. Eadem demum ratione idearum innatarum numerus quoſcunque terminos tranſiliret, ſi earum rerum ideae huic ordini adſcriberentur, quas ceteris facilius, atque expeditius Menti effingere licet. Quamobrem nullae ſunt ideae, quae innatae dici queant eo ſenſu, quo vulgo a Carteſianis accipiuntur.

His autem ſtabilitis nolo quis inde efficiat in *Senſiſtarum* (*a*) ſententiam me deſcendere. Tum enim qui innatas ideas tuentur, tum qui eas profligant ſuam mihi non probant ſententiam. Ut igitur quaeſtioni modum aliquem imponamus, ita idearum originem definiri poſſe ſentimus. 1. Mentem a Deo facultate donatam eſſe, qua rerum ideas ſibi effingat, tum qui innatas ideas rejiciunt communiter profitentur, tum qui pro illis dimicant, ſaltem quod ad pleraſque attinet, diffiteri non audent.

2. Ideas non eſſe, niſi objectorum imagines & formas, quas ſibi Mens praeſentes ſiſtit, ipſius nominis notio manifeſte arguit. Neque aliter fere univerſi ideas accipere videntur: quamvis non omnes ea, qua par eſt, perſpicuitate loquantur. Lockius, qui Senſiſtarum agmen ducit, ideam appellat *omne id, quod Mens in ſe ipſa percipit, perceptionem omnem, quae Menti ineſt, cum ipſa cogi-*

(a) *Eo nomine vulgo cohoneſtari ſolent, qui a ſenſibus idearum originem arceſſunt.*

cogitat (*a*) : atque ad calcem Anteloquii quod *idolum*, *notio*, *ſpecies* dicitur, ſe ideae nomine intelligere teſtatur.

3. Jam vero fieri nequit, ut Mens rerum imagines exprimat, quarum nullam habet notitiam; propterea omnino oportet, ut rerum cognitio in Mente earumdem ideas praecedat. Atqui non alius ad Mentem rebus ſenſibilibus patet aditus, niſi per exteriores ſenſus. Tum demum igitur earum rerum ideas ſibi Mens effinget, cum earum cognitionem per ſenſus exceperit.

4. Verum multa ſunt, quae exterioribus ſenſibus non ſubjiciuntur; quorum ideas Mentem ſibi efficere experimur. Horum autem quo pacto Mens notitiam aſſequetur? Reflexionis opera ajunt Senſiſtae. Atqui Reflexionem cognitio praeeat oportet. Neque enim Mens in ſeipſam reflecteretur, ut actus ſuos expenderet, niſi eos antea cognoſceret. Aliquid igitur Reflexione antiquius reperire oportet, quo Mens illa attingat.

5. Porro nihil in Mente ſimplicius, nihil prius, nihil antiquius, quam Senſus intimus ſui ipſius: nihil praeterea in ſe Mens complectitur, quod intimum ipſius ſenſum fugiat; hic igitur alter fons erit, unde eorum, quae intime ſentit, ideas ſibi Mens procudit. Quae autem hujus ſenſus opera Mens attingat, atque ita eorum ideas effingat, cum id majorem expoſcat indaginem, inferius proſequemur.

6. Quamobrem idearum omnium origo e duplici Senſu tum intimo tum extimo repetenda eſſe

(a) *Eſſai . . . Liv. II. chap. VIII.* §. 8.

eſſe videtur. Nimirum uterque ſenſus rerum notitiam, veluti materiam, unde conficiantur ideae, Menti praebet: Mens vero ad ſingulas utriuſque ſenſus ſenſationes attendens Reflexionis opera ideas efformat.

7. Id ipſemet Lockius quamvis per tranſennam, ut ajunt, aſpexiſſe videtur. Nam [*a*] cum idearum originem ſtatuit, quas exteriora objecta Menti adferre non poſſunt; eas ex ſe ipſis ſingulos homines haurire ait. Tum deinde ſubnectit, quod *etſi haec facultas ſenſus non ſit* (exterior nimirum) *quippe quae cum externis objectis nihil commune habeat*, *tamen ad illum multum accedit*, *& SENSUS INTERIORIS nomine recte appellaretur*. Verum ſenſum cum actu confundens, quo Mens ad ſenſum attendit, illam *Reflexionem* appellat; quippe illius opera eas ideas recipere Mentem ait, quas in ſuas reflexa operationes adquirit. Neque advertit [quod quidem ipſa, quibus utitur, verba animadverti jubent] Reflexionem inſtrumentum potius eſſe, ut ita inquam, quo Mens ideas condat, quam fontem, unde illas derivet. Hinc alibi [*b*] diſertiſſimis verbis *Senſationes exteriores atque interiores ſolas vias eſſe* docet, *quae cogitationis ad Intellectum aditum praebent*.

8. Ita idearum origine definita omnis controverſia inter Carteſianos ac Senſiſtas compoſita erit: & de hac inter eos conciliata pace utrique nobis gratias debent. Nullae enim ideae Menti inſunt,

[a] *Liv. II. chap. I.* §. 4.
[b] *Liv. II. chap. XI.* §. 17.

inſunt, quas ipſa ſenſus ſive exterioris, ſive interioris opera ſibi non comparaverit; nullae proinde ideae, quae innatae dici poſſunt. Quod quidem contendunt Senſiſtae. Cum autem quae ſenſu intimo nobis attingere licet a ſenſibus externis non pendeant, & omnem Mentis cogitationem antevertant; fit hinc, ut eorum ideae, quae ſenſu intimo haurimus, innatae dici poſſint. Non quia illae a prima uſque origine nobis inſitae fuerint; ſed propterea quod principium illud, unde eas Mens effingit, in ſenſu intimo veluti conſignatum habemus. Quo ſane revocantur, quae de Ideis innatis differunt Carteſiani.

PROPOSITIO III. *Univerſas ideas e Senſu tum intimo tum extimo Reflexionis opera Mens cudit.*

Demonſtratur. Idearum omnium duo ſunt ſumma genera: aliae corporea objecta reſpiciunt; aliae vero non item. Atqui prioris generis ideas externorum ſenſuum opera Mentem ſibi comparare exploratum eſt. Ergo. Rerum enim imagines cudere Mens nequit, niſi prius res ipſas cognoſcat. Atqui eam corpus inter & Mentem conjunctionem intercedere experimur, ut ſi res externae in corporis ſenſus incurrant, arcana quidem, at conſtanti lege earum cognitionem Mens aſſequatur. Senſibilium igitur rerum ideae e Senſu extimo originem ſuam arceſſunt.

Atque hinc 1. proficiſcitur, quod qui ſenſu aliquo carent, earum rerum, quae huic ſenſui ſubjiciuntur, ideas non habent: ita quidem ut nulla arte fieri poſſit, ut hujuſmodi ideas adquirant. 2. Quo ſenſibus propiora ſunt corpora, & quo diligentius in iis ſenſus verſantur, eo clario-

riores ſunt ideae. 3. Rerum corporearum ideae magis minuſve completae & perfectae ſunt, prout ſenſus magis vel minus integri, & valentes fuerint.

Quod vero ad illa ſpectat, quae neque a ſenſibus hauriri, neque ipſorum ideae abſtractionis opera a Mente efformari poſſunt: ea ſane nos intimo ſenſu attingere ita eſt in promtu, ut res diſputatione non egeat. Proprietates enim noſtrae Mentis, & quaecunque intrinſecus agit ipſa aut patitur, non alia nobis ratione innoteſcunt, quam quod ea intimo ſenſu experimur. Ideae igitur actuum & paſſionum, quas in ſeipſa Mens reflexa ſibi effingit, e ſenſu intimo veluti e nativo fonte proficiſcuntur.

Jam illud porro inſpiciendum eſt, num praeter ſuorum actuum ideas, aliae ſint, quas intimo ſenſu Mens hauriat. Quoniam autem interior hic noſtrae Mentis ſenſus iis veluti tenebris ſit obſitus, ut quae in eo concluſa deliteſcunt, obſcure admodum & confuſe Mens ſentiat: idcirco tentare oportet, quaenam hujuſmodi ſenſus complectatur, quae ſedulo evoluta non paucas Menti offerunt ideas. Ex qua quidem ſenſus obſcuritate proficiſcitur, ut tanta Philoſophos inter verſetur diſceptatio, undenam ſcilicet primitivae quaedam notiones, cujuſmodi ſunt *Aeternitatis*, *Infinitatis*, *Immortalitatis*, *Veritatis*, *Beatitudinis*, ac *Dei* tandem ideae nobis adveniant. Ut igitur hoc interiorum ſenſationum tentamentum recte inſtituamus, Senſiſtas antea audire juvat, quaeve ipſi de hujuſmodi idearum origine conſtituant.

Lo-

Lockius ſane Sententiarum facile princeps Aeternitatis, atque Infinitatis ideas ita a Mente comparari diſſerit. (a) Aeternitatis quidem idea, Lockio auctore, eamdem, atque idea Temporis, originem habet. Durationis enim ſive Succeſſionis notionem nobis praebet idearum ſeries, quarum aliae aliis ſuccedunt, & quae continuata in nobis exſiſtit, ſeu quod hujuſmodi ideae Menti ſeſe praeſentes offerunt, ſeu quia tum haec tum illa externa objecta perpetuo corporis ſenſus afficiunt. Quod ſi vero Solis, aut Lunae periodis eam metimur, certae durationis ſive temporis ideam haurimus. Quoniam autem fieri experimur, ut ſi certa temporis ſpatia alia aliis addamus, nunquam additioni finis imponi videatur; ita Aeternitatis ideam nobis ipſi comparamus.

Eadem fere ratione Infinitatis ideam a nobis comparari docet laudatus Auctor. Quicunque enim determinatae cujuſdam longitudinis ideam habet, is quidem eam quantumvis multiplicare ſe poſſe ſentit, neque unquam ad terminum propius accedere, quam cum incepit, advertit. Indefinitum igitur quod nunquam exhauriri poteſt, animo concipitur: h. e. Infinitatis idea comparatur. Lockii igitur ſententia ita Aeternitatis atque Infinitatis ideas Mens effingit, ut altera ex certis temporum intervallis ſimul additis, altera vero ex longitudinum numero quantumlibet repetito proficiſcatur.

Quod vero ad Virtutis, Vitii, Honeſtatis ideas

(a) *Liv. II. chap. XIV. XVII.*

ideas attinet, primum Lockius (a) Carteſianorum opinionem, qui prima quaedam juris naturalis principia in animis hominum conſignata eſſe volunt, multis refutare conatur. Quae autem potiſſimum exhibet argumenta, ad haec revocantur. 1. Praecipuae hujuſmodi morum regulae demonſtratione indigent: Ea igitur principia ab aliqua veritate pendent, unde ratiocinii opera deducantur. 2. Ingens eſt inter homines de Virtutibus & Vitiis diſſenſio: tum etiam nonnullae integrae nationes non paucas rejiciunt morum regulas, & plura ſecure admittunt, quae aliae nefanda eſſe ducunt. Non igitur ſingulis hominibus communes ſunt Vitii & Virtutis ideae. Ergo non innatae.

Deinde certam viam atque rationem aperit Lockius, qua hujuſmodi ideas Mens aſſequatur. Eas enim inſtitutione atque exemplis a parentibus, magiſtris, iisque, quos inter verſamur, nobis afferri oſtendit. Nam cum a prima uſque infantia omni cognitione deſtituamur, ita praeceptis & opinionibus, quibus puerilis aetas informari ſolet, animus imbuitur, ut quo magis aetate progredimur, eo altiores radices agant. Ea potiſſimum de cauſſa, quod illa vel aperta vel tacita conſenſione profiteri eos deprehendamus, quibuſcum communione conjungimur; atque ab iis commendari audiamus, quorum ſapientiam aut pietatem admiramur.

Dei tandem ideam expendit Lockius, eamque in-

(a) *Liv. I. chap. II.*

innatam non eſſe oſtendit (*a*) , tum quia non eadem eſt in ſingulis hominibus ; tum vero potiſſimum , quod ea quibuſdam nationibus ignota fuerit . Eam deinde quo pacto ex propriae exſiſtentiae cognitione ratiocinatione Mens hauriat minutatim ediſſerit (*b*) .

Nimirum Menti exploratum eſt ſeipſam exſiſtere , cumque evidenter comprehendat , quod e nihilo Ens aliquod prodire nequeat ; inde aperte deduci videat neceſſum eſt, quod ab omni aeternitate aliquod exſtiterit , unde originem ipſa habuerit . Praeterea eadem evidentia patet , Ens omne , quod ab alio originem traxit , inde etiam quaecunque ipſi inhaerent , accepiſſe . Mens igitur cum in ſe intelligendi facultatem deprehendat , eo progreditur , ut Ens aliquod aeternum , omnipotens , atque intelligens eſſe deducat .

Ex his autem facile per ſe quiſque intelligere poterit , eam eſſe Senſiſtarum opinionem , quod primitivae illae notiones , quae a ſenſibus externis *ἀμέσως* [*immediate*] oriri nequeunt , & a Carteſianis in animo conſignatae dicuntur , partim ex ſimplicium idearum collatione , partim abſtractionis ope non ſine objectorum externorum occaſione , partim ratiocinationis , experientiae , ac meditationis opera proficiſcantur .

Verum ſi accurate pro eo ac par eſt , primigenias hujuſmodi notiones inſpiciamus , aliam eſſe rationem , qua illae nobis adveniant , fateamur oportet . Et ſane quod ad Aeternitatis , at-

que

---

[a] *Liv. I. chap. III.*
[b] *Liv. IV. chap. X.*

que Infinitatis ideas attinet : hae quidem, unde eas deducit Lockius, derivari non poſſunt. Nam 1. temporis intervalla certis circumſcripta limitibus, finitae longitudines, terminati numeri, quoties repetita accipiantur, quantumvis alia aliis addita multiplicentur; incrementum quidem, haud tamen infinitatem ipſam abſolutam attingere poſſunt. Quod inde nimirum producitur, finitum eſt ac limitatum, licet auctum uſque cumulatumque ſit. Atqui Infinitatis, atque Aeternitatis notiones fines omnes, limites omnes tranſiliunt. Eas igitur ex finitis & limitatis fruſtra hauries.

2. Ideae, de quibus loquimur, cujuſmodi a nobis comparari contendit Lockius, *negativae* ſunt., ut vulgo ajunt; quippe negant ac removent fines a rebus, quas limitibus definitas ſenſibus excipimus. Aeternitatem autem atque Infinitatem notione valere poſitiva & alibi demonſtravimus, & quiſque probe noverit, ſi quid aeternum, atque infinitum ſit intelligat. Ergo. Nam, ut quaedam innuam, infinita cognitio Ex. gr. & ſapientia nobis idem omnino eſt, ac abſoluta & perfecta cognitio: ſeu illorum omnium quae cognoſci poſſunt & intelligi perfectiſſima comprehenſio. Ita quid nobis infinita potentia, niſi potentia perfectiſſima, quae virtutem omnia faciendi, quae fieri per rerum naturam poſſint, comprehendat? Pari etiam ratione perfectum a nobis intelligitur quod aeternum dicimus, quatenus nimirum exſiſtendi neceſſitatem, atque immutabilitatem complectitur.

Jam porro notiones negativas Mentem non aſſequi, niſi prius poſitivas cognoſcat, nemo eſt,

qui non videat. Sicut enim lux ante intelligitur, quam caligo; atque id, quod eſt, prius animo concipitur, quam id quod non eſt, aut deficit: ita etiam aeternum atque infinitum neceſſe eſt antea intelligamus, quam temporarium & terminatum. Tantum igitur abeſt, ut Aeternitatis, atque Infinitatis ideae e temporis & longitudinis ideis proficiſcantur, ut potius eas antevertant.

Porro eadem argumenta. Immutabilitatis, Veritatis, Honeſtatis, & Beatitudinis ideas neque extrinſecus advenire, neque ex attenta rerum conditarum contemplatione proficiſci poſſe declarant. Nam 1. Immutabile mutabilis menſura eſt: non ſecus ac linea recta obliquae norma eſt & regula. Neque enim ſingulas e ſtatu ſuo res decidere, atque ex alio in alium viciſſitudinem ſubire intelligeremus: niſi fixum atque immutabilem Entis neceſſarii ſtatum antea animo complecteremur.

2. Veritatem pariter prius, quam falſitatem, aut mendacium noverimus, nobis innoteſcere perſpicuum eſt. Veritatis enim nomine intelligimus rem, reique ſtatum ſuo archetypo reſpondentem. Nemo igitur noſſe poterit, quando res a ſuo archetypo aberret, niſi qui antea ſciat rei ipſius conditionem, quae ſuo veluti exemplari congruat. Mens autem ſuapte natura falſa dignoſcit a veris; ergo veritatis praenotionem habet.

3. Inhoneſta, injuſta, iniqua deprehendere nobis non liceret, ſi nullam in animis noſtris honeſti, juſti, & aequi notionem expreſſam haberemus. Cum hac enim, tanquam norma quadam com-

comparamus & contendimus omnia; quae idcirco iniqua, atque injuſta eſſe intelligimus, quia ab illa deſciſcere deprehendimus. Appoſite ad rem noſtram Auguſtinus [a]. *Reprehenſor iniquitatis eſſe non poteſt, qui non cernit juſtitiam, cui comparatam comprehendat iniquitatem. Unde enim ſcis quia hoc injuſtum eſt, niſi ſcias quid ſit juſtum? Quid ſi enim juſtum eſt, & hoc quod dicis injuſtum? Abſit, inquis, injuſtum eſt, & clamas quaſi videntibus oculis videns hoc injuſtum eſſe; utique ex aliqua regula juſtitiae, cui comparans quod vides pravum, & cernens non convenire rectitudini regulae tuae reprehendis, tanquam artifex diſcernens juſtum ab injuſto*. Auguſtino praeivit Cicero, qui normam, qua honeſta ac turpia comparantur, naturalem eſſe docet. Ait enim: *Legem bonam a mala nulla alia niſi naturali norma dividere poſſumus. Nec ſolum jus & injuria a natura dijudicatur, ſed omnia omnino honeſta ac turpia* [b].

4. Beatitudinis notione multo ante, quam infelicitatem aut miſeriam experiantur homines, eorum animos imbutos eſſe aperta res eſt. Fieri enim nequit, ut infelicem me eſſe ultro dolerem, niſi beatitudinis forma Menti ineſſet, qua praeeunte ab eo felici ſtatu me longe abeſſe & ſentio, & moereo. Scilicet miſeriarum omnium criterium beatitudinem eſſe recte dixeris.

Hujuſmodi igitur notiones eam in Mente antiquitatem praeſeferunt, ut non modo ceteras ideas antecedant: verum etiam ſint veluti ſtabiles

(a) *In Pſalm. LXI.*
(b) *Lib. I. de Leg. cap. XXXIII.*

Si: mio ...

quaedam regulae Menti praeſentes, in quas intuemur, cum finita, mutabilia, falſa, iniqua, moleſta metiri volumus. Ex quo eas neque inſtitutione nobis inſtillari, neque meditatione aut rerum externarum contemplatione effingi poſſe plane efficitur.

Jam vero ſi interiores ſenſus noſtri receſſus adire velimus, deliteſcentia ibi tanquam ſemina inveniemus, unde notiones illae effloreſcunt. Et ſane Veritatis ſenſum in ſe unuſquiſque deprehendere experitur, ſi ab externis omnibus avocatam in ſeipſam Mentem recipi permittat. Nam 1. quis non perſentiſcit, ſe natura duce adeo falſitatem odiſſe, & quoad ejus fieri poteſt devitare, ut quamvis cupiditatis aeſtu abreptus errorem in aliis probaverit, in ſeipſo probare non poſſit? Nempe falli nolunt etiam quicunque fallere amant. *Multos expertus ſum*, ait Auguſtinus [a], *qui vellent fallere, qui autem falli, neminem. Nemo enim vult ita falſum dicere, ut neſciat ipſe quid verum ſit.*

2. Rurſus mendacia in aliis, niſi quid ſua interſit, quiſque reprehendit, meritoque caſtigat, non ſine omnium conſenſione & plauſu.

3. Cognitionis cupiditate incenſi ad philoſophiam, ceteraſque ſcientias incitamur. Atqui cupiditas iſthaec a natura ipſa originem ducit. Veri igitur videndi appetitus nos tenet. Hujuſmodi argumentum proſequitur Tullius: *Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini veri inveniendi, quod facillime apparet, cum vacui curis,*

[a] *Lib. X. Confeſſ. cap. XXIV.*

ris, etiam quid in caelo fiat, ſcire avemus: his initiis imbuti omnia vera diligimus: id eſt fidelia, ſimplicia, conſtantia: tum vana, falſa, fallentia odimus, ut fraudem, perjurium, malitiam, injuriam [a].

4. Unuſquiſque ſe gaudio perfundi experitur, ubi veritatem aliquam aſſequi contingat. Veri igitur reperiendi ſtudio ardemus. Ita laudatus Tullius: *Qui enim poſſum non cupere verum invenire, cum gaudeam, ſi ſimile veri quid invenerim* [b]?

Porro Honeſtàtis ſenſum moralem, niſi qui homo eſſe deſierit, in ſe ipſe non deprehendit. 1. Re enim vera quaedam ſunt adeo foeda, & deformia, ut ne dici quidem, nedum fieri omnes ad unum non patiantur: ejuſmodi ſunt, parentes ſine ulla cauſſa jugulari; amicos prodi; iis, qui de nobis optime meriti fuerint, malefacta rependi &c. Quid autem cauſſae eſt, cur horum ſcelerum turpitudine, etiamſi in eum laeſura non ſint, quiſque offendatur? Cur haec crimina eſſe nemo diffiteri audet, licet nulla lata lege prohiberentur? Profecto Honeſtatis ſenſus, quo natura ipſa percellimur, haec, in quibus in neutram partem moveremur, ſceleſta ac turpia eſſe nos admonet.

Quod ſi quis ea iniqua atque injuſta propterea eſſe dicat, quod civili ſocietati, ac ſecuritati publicae adverſantur; is, quaeſo, illud oſtendat, quare quod civilem ſocietatem impetit, iniquum

[a] *Lib. II. de Fin. Cap. XXIV.*
[b] *Lib. IV. Tuſcul. cap. XX.*

eſſe aeſtimetur . Aut igitur Honeſtatis ſenſus ſingulis eſt hominibus inſitus, quo honeſtas, & turpes actiones veluti metimur: aut ſtatuamus oportet nihil eſſe reapſe iniquum, ne foediſſimis quidem criminibus exceptis; tum etiam praecipua hominum officia meras eſſe conſuetudines: ac tandem diſcrimen omne, quo vitium a virtute ſeparatur, in vulgi duntaxat opinione inniti.

2. Senſum Honeſtatis manifeſte evincunt quamvis tacitae at vehementes illae interiores objurgationes, quibus ſe argui unuſquiſque perſentiſcit, ubi ſcelus aliquod admiſerit. Quae quidem ſecreta conſcientiae reprehenſio ita nos fodicat, ut in noſtra poteſtate non ſit diſſimulatio vel oblivio; lacerat enim, vexat, ſtimulos admovet, ignes adhibet, reſpirare non ſinit. At undenam vox iſthaec erumpit, quae crimina increpat, niſi ex honeſtatis ſenſu, quo quiſque afficitur?

3. Juſti, injuſtique notio ita univerſis omnino hominibus communis eſt, ut etiam ipſae immanitate barbarae nationes hac notione ducantur. Ubique enim gentium jusjurandum moribus receptum eſſe; foedera ſanciri, eaque non ſine probro violari comperta res eſt. Quo ſane reſpicit Tullius, cum ait: *Juſtitiae tanta vis eſt, ut ne illi quidem, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine ulla particula juſtitiae vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit; is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem, qui archipirata dicitur, niſi aequabiliter praedam diſpertiat, aut interficietur a ſociis, aut relinquetur. Quin etiam*

leges

leges latronum eſſe dicitur, quibus pareant, quas obſervent (*a*).

Porro haud recte quis dixerit hujuſmodi juſti injuſtique notiones ratiocinationis opera comparari. Nam 1. Honeſtatis notiones, licet eas evolvere, atque aperire Mens neglexerit, ipſae per ſe erumpunt, ubi objectum nobis occurrerit.

2. Non modo ratiocinationem antecedunt; verum etiam eam dirigunt, corrigunt, atque emendant. Neque enim ratiocinari Mens poſſet, niſi quaedam ſibi adeſſent principia, quibus innixa & alia inde concluderet, & ad ea veluti ad normam aliquam ratiocinationes omnes exigeret. Haec autem principia quaſi prima elementa naturae niſi in nobis ipſis contineremus, aliunde originem habere non poſſent.

3. Et ſane ratiocinationes omnes e ſenſu prodire vel illud argumento eſt, quod quae nunquam ſentimus, de his nunquam ratiocinemur: adeo quidem ut ratio non ſit, niſi ſenſus evolutus atque explicatus.

4. Honeſtatis ſenſum rationi praeire ex hominum vulgo aperte colligere licet. Illud enim ſenſu potius duci, quam ratione, quae diuturni temporis atque aſſidui laboris opus eſt, adeo eſt exploratum, ut eo ſublato Societas ipſa auferatur neceſſe ſit. Natura enim ad civilem communitatem homines conjunctos & conſociatos eſſe quis non perſentiſcit?

5. Idipſum dilucide inde efficitur, quod licet aliquando nullae nobis ſuppetant rationes, qui-

 bus

(a) *Lib. II. De Offic. cap. XI.*

bus ducamur ; praeſto tamen nobis eſt intimus honeſtatis ſenſus . Finge ſophiſtam filio parentis necem unde unde conquiſitis argumentis perſuadere ; is quidem, modo cupiditatis facibus inflammatus non fuerit , interiorem honeſtatis ſenſum opponet : quamvis ſophiſtae argutiis ſatisfacere nequeat .

6. Honeſtatis igitur ſenſus eſt veluti quaedam naturae *non ſcripta , ſed nata lex , quam non didicimus , accepimus , legimus ; ſed ex natura ipſa arripuimus , hauſimus , expreſſimus ; ad quam non docti , ſed facti , non inſtituti , ſed imbuti ſumus* : ut cum Tullio [a] loquamur. Atque lex iſthaec ita lumine ſuo nobis affulget , ut effrenes ipſae cupiditates licet obſcurare aliquando , extinguere tamen eam nunquam valeant .

Nam 1. poſtquam cupiditatis aeſtus deferbuit vel ipſi facinoroſi homines vituperant , quae antea laudarunt .

2. Ii quidem licet ſibi ipſis indulgentes propria ſcelera non vituperent , ea tamen in aliis opprobrio digna exiſtimant.

3. Iidem perditi homines ſibi ab iniquitate cavent , ſi quidem ſuis facere ſatis cupiditatibus ipſis licuerit . Appoſite ad rem noſtram Tullius [b]. *Quis eſt , aut quis unquam fuit aut avaritia tam ardenti , aut tam effrenatis cupiditatibus , ut eamdem illam rem , quam adipiſci ſcelere quovis velit , non multis partibus malit ad ſeſe , etiam omni impunitate propoſita , ſine facinore , quam illo modo per-*

[a] *Orat. pro Milone cap. IV.*
[b] *Lib. III. De Fin. cap. XI.*

pervenire? Tullium exſcripſiſſe videtur Seneca; in eamdem enim ſententiam ait [a]: *Dic cuilibet ex iſtis, qui rapto vivunt, an ad illa, quae latrociniis & furtis conſequuntur, malint ratione bona pervenire? Optabit ille, cui graſſari & tranſeuntes percutere quaeſtus eſt, potius illa invenire, quam eripere. Neminem reperies, qui non nequitiae praemiis ſine nequitia frui malit.*

Eadem tandem Beatitudinis ratio reperietur. Tantum enim innatum in nobis Beatitudinis amorem experimur, ut neceſſario quodam animi ardore atque impetu ad eam adipiſcendam concitemur. Atque hoc naturae votum 1. omnem Mentis ratiocinationem antecedit; quippe a nulla noſtra deliberatione, aut optione dependet. Prius enim poterit a ſe quiſque diſcedere, quam hujuſmodi appetitum amittere. 2. Baſis eſt & veluti fundamentum omnium volitionum; adeo quidem ut inde prodeant, atque huc referantur Mentis appetitiones. Propterea enim quaevis ſingularia bona conſectamur; quod ingens ſummi boni ſtudium nos occupat, quod illa omnia complectitur, & longe excedit.

Beatitudinis autem appetitum Immutabilitatis atque Infinitatis ſenſum complecti unuſquiſque deprehendet, ſi illius amoris, quem nobis natura ingenuit, characteres inſpiciat. Haec quidem votorum noſtrorum ſumma eſt; neque mori, neque falli volumus: tum quae habemus, ſecure, atque omni procul ablegato timore poſſidere exoptamus; bonorum firmitati, & perpetuitati con-

[a] *Lib. IV. De Benef. cap. XVII.*

fidere poſſe expetimus: hujuſmodi tandem amorem ita late patere experimur, ut & bona omnia appetantur, & ſingularia quaevis ac finita illum implere non poſſint. Infinitatis igitur, Immutabilitatis, atque Aeternitatis notiones in Beatitudinis ſenſu concluſas intime ſentimus.

Sed ut ad propoſitum revertamur, nunc id omne concludi ſic licet. 1. Quod omnes ratiocinationes, judicia omnia, ideas omnes antevertit, non ratione comparatur, ſed ſenſu intimo percipitur. Atqui ejuſmodi ſunt Aeterni, Infiniti, Immutabilis, Veri, Honeſti, & Beatifici notiones. Ergo.

2. Quod neceſſario erumpit in animo, haud longa ratiocinatione acquiritur, ſed primus ipſe ſenſus affert. Ita autem Honeſtatis, Veritatis, & Beatitudinis notiones nobis ineſſe ſentimus, ut eas obliterare in noſtra poteſtate non ſit. Ergo.

3. Quod ſponte & primo rerum occurſu experimur, meditationis & reflexionis fructus eſſe nequit, ſed unius ſenſus intimi eſt opus. Cum igitur primo, ſponte, & neceſſario intrinſecus nobis occurrant recenſitae notiones, ex intimo ſenſu proficiſcantur oportet.

Reſtat tandem, ut perſcrutemur, num ex intimo ſenſu Dei notionem colligere Mens poſſit. Et ſane ex notionibus, quas in interiori ſenſu involutas aperuimus, aliquid de Deo inveſtigare licet. Inſatiabilem enim nobis a natura ingenitum appetitum ineſſe unuſquiſque experitur, quo ad ejuſmodi beatitudinem contendimus, quae tum bonum immutabile, atque infinitum, tum aeternitatem, & veritatem complectatur. Atqui natura expeti nequit, quod non ſentitur; ſentiri

autem,

autem, niſi quod nos afficit, nequaquam poteſt; neque eo, quod nuſquam exſtat, affici poſſumus. Abſtracta enim, univerſalia, aliaque hujuſmodi Entia rationis, cum non exſiſtant, ſenſui tum extimo tum intimo non ſubjiciuntur: & nullam propterea aut corpori aut animo affectionem inducere poſſunt. Quae igitur attributa Mens expetit, & quae in ſeipſa ſentit, Entis alicujus reapſe ſint attributa neceſſum eſt. Ignoti igitur Entis proprietates Mens in ſeipſa ſentit.

Quamobrem ſi ad interiores hujuſmodi ſenſationes attendere Mens ſatagat: atque in eo omnem collocet induſtriam, ut meditatione & reflexione eas involutas aperiat; illius Entis ſibi ideam procudet, cui ea omnia, quae in ſeipſa ſentit attributa, adſcribit, atque adjudicat.

Haec autem e ſenſu intimo explicaſſe licuit. Quae quidem fortaſſe nonnullis jejunius dicta fuiſſe videntur: at ea ſunt quaſi prima elementa naturae, quibus ubertas orationis adhiberi vix poteſt.

CAPUT V.

De Mentis humanae Voluntate, & Libertate.

ALtera Mentis humanae facultas Voluntas eſt, qua nimirum ſeſe determinat, vel ut objecta appetat, quae bona eſſe per Intellectum agnoverit, vel ut ea averſetur, in quibus mali rationem deprehenderit. Adeo quidem, ut Voluntatem

luntatis objectum ſit bonum, ſive quod reapſe ejuſmodi ſit, ſive quod in ſpeciem bonum eſſe videatur.

Heic autem illud modo diſcutiendum eſt, num libera ſit Humanae Mentis Voluntas. Fuerunt enim inter veteres Philoſophos, qui Mentem hominis Voluntate libera ſpoliatam neceſſitate fati devinxere.

Et I. quidem Zeno, atque ex eo ducti Stoici certum quemdam cauſſarum ordinem introduxere, quae ab omni aeternitate tam naturali colligatione connexae ſunt, ut nihil agi queat, niſi quod lex iſthaec juſſerit. Id autem εἱμαρμένην, *fatum* appellabant. Ita ſane fatum definit Chryſippus apud Gellium: *Fatum eſt ſempiterna quaedam & indeclinabilis ſeries rerum & catena, volvens ſemetipſa ſeſe & implicans per aeternos conſequentiae ordines, ex quibus apta connexaque eſt* (a).

Hoc autem fato univerſa regi docebant, ipſumque Deum fato reſiſtere poſſe negabant. Cumque Humana Mens ipſorum ſententia Dei particula ſit; hinc nihil eſſe in noſtra poteſtate, ſed omnia neceſſitate effici adſerebant.

Sed quoniam haec Stoicorum neceſſitas vitii & virtutis ideas evertebat, ac morali Philoſophiae, quam Porticus reſonabat, refragabatur; hominum animos neceſſitate liberare ſtuduit Chryſippus: quamvis, ut advertit Tullius, *dum verbis utitur ſuis, delabitur in eas difficultates, ut neceſ-*

[a] *Noct. Attic. Lib. VI. Cap. II.*

neceſſitatem fati confirmet invitus [*a*].

Docebat enim, quod ſi hominis Mentem perinde inſpicias, atque neceſſario naturae vinculo rerum univerſitati adhaeret, neceſſum eſt, ut ea agat, quae jubet aeternus cauſſarum nexus. Sed cum ad ea, quae agit, ſponte & voluntario impetu feratur; propterea nulla vi extrinſecus agitata, ſed libere ducitur. Quam ob rem hujusmodi exemplo uti ſolebat. *Sicut lapidem cylindrum ſi per ſpatia terrae prona atque derupta jacias, cauſſam quidem ei, & initium praecipitantiae feceris; mox tamen ille praeceps volvitur: non quia tu id jam facis, ſed quoniam ita ſeſe modus ejus, & formae volubilitas habet. Sic ordo & ratio & neceſſitas fati genera ipſa, & principia cauſſarum movet; impetus vero conſiliorum, Mentiumque noſtrarum actiones ipſas voluntas cujuſque propria & animorum ingenia moderantur*. Ita Gellius [*b*]; ejuſdemque exempli meminit & Tullius [*c*].

II. Humanae Menti libertatem abjudicavit etiam Democritus. Cum enim ipſe motum, quo ab aeterno atomi agitantur, naturalem & neceſſarium eſſe doceret; non poterat, quin omnia neceſſario fieri rite concluderet. Hinc illum *ἀνάγκην neceſſitatem* admiſiſſe teſtatur Laertius (*d*).

Verum Epicurus, ne Democriti fato aſſentiretur, *ab atomis errantibus, & a via declinantibus praeſidium petere conatus eſt*, ut ait Tullius

(a) *De Fato Cap. XVII.*
(b) *Loc. cit.*
(c) *De Fato cap. XVIII. XIX.*
(d) *De Vit. Philoſoph. Lib. X.*

lius [a]. Democritus enim naturalem impulſionis motum, quam *plagam* appellabat, Epicurus vero gravitatis & ponderis atomis ineſſe ſtatuit. Quoniam autem teſte Tullio [b] verebatur Epicurus, *ne ſi ſemper atomus gravitate ferretur naturali ac neceſſaria, nihil liberùm nobis eſſet; cum ita moveretur animus, ut atomorum motu oogeretur*: propterea *declinationem* quamdam, ſive motum obliquum atomis impertivit. Hujuſmodi declinationem ita exponit Lucretius [c],

Declinamus item motus, nec tempore certo,
Nec regione loci certa, ſed ubi ipſa tulit Mens;
Nam dubio procul his rebus ſua quoique voluntas
Principium dat; & hinc motus per membra rigantur.

Nec vero, appoſite Tullius [d], *quiſquam magis confirmare mihi videtur non modo fatum, verum etiam neceſſitatem & vim omnium rerum, ſuſtuliſſeque motus animi voluntarios, quam hic, qui aliter obſiſtere fato fatetur ſe non potuiſſe, niſi ad has commentitias declinationes confugiſſet.*

Ea enim eſt Epicuri opinio, ut animus non ſit, niſi leviſſimarum atomorum per totum corpus fuſa coagmentatio, cujus pars illa, quae rationis eſt particeps, in pectore verſatur. Iſthaec porro quae pectori haeret atomorum complexio in cauſſa eſt, cur graviores atomi, quae ſuo pon-

(a) *De Fato Cap. XX.*
(b) *Lib. cit. Cap. X.*
(c) *Lib. II. De nat. rer.* v. 259.
(d) *Lib. cit. Cap. XX.*

pondere ad lineam feruntur, ab ea declinent, atque alio deflectant.

Verum qui fit, ut tenuiſſimarum atomorum moles alias depellat? Id ſane praeſtabit aut externa quaedam vis & cauſſa, aut interior. Si cauſſa accedit extrinſecus, fato id fiet; cum illa aliis cauſſis antecedentibus connexa ſit, quibus humana voluntas libertate deſtituitur. Sin autem interna, naturalis erit ille atomorum motus, & propterea neceſſarius. Actum igitur erit de omni libertate.

III. Graecae Philoſophiae ſententiae in Chriſtianae Religionis dogmata tranſmiſſae univerſos fere invexerunt errores, qui a prima uſque Eccleſiae aetate paullatim diffundi coeperunt. Hinc originem ſuam arceſſunt Saturnini, Hermogenis, Marcionis, & Manetis nefariae de hominum libertate opiniones.

Saturninus enim in ea erat ſententia, quod ſingulae cujuſque hominis Mentes ſuapte natura aut bonae, aut malae perinde eſſent, atque corporis organa, cui conjunguntur, efformata ſunt.

Hermogenes vero, qui aeternam finxit materiam, quae tam ratis legibus ſuo motu agitabatur, ut Deus ipſe perfectum inde Mundum effingere non potuerit; hominum animos omni libertate ſpoliavit. Mentem enim hujus materiae parti alligatam nullum in eam tenere imperium adſeruit; quippe quae violentis materiae motibus ſubjiciatur oportet.

Marcionis & Manetis dogmata libertati humanae etiam adverſantur. Cum enim duo principia, alterum natura bonum, alterum malum

admi-

admiſerint; omnem humanae felicitatis, ac miſeriae viciſſitudinem ex hiſce duobus Diis repetendam eſſe docuerunt.

IV. Benedictus Spinoza cum unicam in rerum Univerſitate ſubſtantiam, eamque Deum eſſe conſtituerit, eodem pacto libertatem metitur, quo Univerſitatis ipſius modos omnes veluti Dei perfectiones conſiderat. Nimirum neceſſarias ſubſtantiae illius, ut ait, emanationes eſſe docet omnes humanos actus, ac neceſſario fluere e neceſſario principio.

V. Tandem Humanae Mentis libertatem dedita opera nuper aggreſſi ſunt Collinius, Anonymus Auctor *De Libertate* (a), Meriannus, ceterique omnes, qui praeter corpus, corporiſque temperationem nihil in homine admittunt. Collinius quidem univerſos noſtrae Mentis actus expendit, iiſque libertatis ideam nulla ratione convenire poſſe pronuntiat.

Nam 1. nulla penes Mentem eſt libertas quod ad idearum perceptiones attinet. Omnes enim ideae, tum quae a ſenſibus, tum quae a reflexione proficiſcuntur, ipſae ſeſe nobis offerunt, velit, nolit Mens noſtra.

2. Neque aliqua in Judiciis verſari poteſt libertas. Mens enim de alicujus propoſitionis veritate judicium ferre cogitur, prout ipſius eſt propoſitionis natura.

3. Demum ipſae Mentis noſtrae volitiones liber-

(a) *Locum obtinet hoc opus in Sylloge, cui titulus* Nouvelles libertés de penſer, *edita anno* 1753.

bertate deſtituuntur. Volitiones enim, quae ad bonum, aut malum referuntur, ſimiles prorſus ſunt judicio, quod de alicujus propoſitionis veritate, aut falſitate pronuntiatur. Atqui ſecundum propoſitionis naturam neceſſario judicamus. Neceſſario igitur hoc, aut illud objectum amplectimur, ea nimirum de cauſſa, quod ita poſtulant illius impreſſiones, quibus afficimur.

Anonymus vero univerſum ſyſtema de humanae Mentis neceſſitate duobus veluti fundamentis ſuperſtruit. Primum innititur vulgaribus argumentis, quibus Divina praeſcientia cum hominis libertate componi non poſſe videtur. Alterum vero e mutuo illo nexu deſumitur, quem inter Mentis cogitationes, & cerebri motiones intereſſe experimur.

Ipſe enim ſtatuit Mentem cerebri imperio adeo ſubjici, ut prorſus neceſſario perinde se determinet, atque ipſius cerebri jubet temperatio.

Idem porro cauſſam aperit, quamobrem fiat, ut nobis libere agere videamur. 1. Ea enim quae volumus, quaeque agimus, conſentanea cujuſque ingenio eſſe ſentimus. At haec a cerebri fabricatione proficiſcitur.

2. Non raro de re aliqua deliberare, & potius hanc, quam illam amplecti ſententiam nobis ipſi conſcii ſumus. Hanc autem optionem libertatem praeſeferre exiſtimamus. Verum hujuſmodi deliberationem efficit virium aequilibrium, quod inter ſe duae contrariae cerebri diſpoſitiones ſervant; quae quidem contrarias Menti praebent cogitationes. Quoad perſeverat hoc aequilibrium, Mens deliberat: ſed ubi cerebri diſpoſitionum

alter-

alterutra alteri praevalet ; extemplo ſequitur Mentis optio. Ergo ne veſtigium quidem libertatis in deliberationibus noſtrae Mentis apparet.

Meriannus tandem ita rem perſequitur. (a) Nihil ſine motivis volumus. Univerſae noſtrae ideae cauſſis materialibus ſuam debent originem, in quas nulla nobis poteſtas eſt ; quippe illae pendent a corporis ſtructura, aut rerum objectarum natura, unde afficimur. Motiva porro hujuſmodi cauſſarum effectus ſunt. Nihil igitur libere volumus. Cum vero plura motiva in nos alternis agunt, tunc *deliberamus*, ut ajunt. Eſt autem *deliberare*, alternis amare, & odiſſe, h. e. tum attrahi, tum deinde repelli a motivis; donec tandem neceſſario trahimur ab iis motivis, quae noſtram utilitatem ſecum ferunt. Sin autem contraria motiva pari virium pondere in cerebrum agunt, pendet quidem hominis voluntas : adeo ſane, ut neque agere, neque velle poſſit, niſi alterutrum motivorum vires alterius excedat.

Atque hae ſunt hominum in ſe ipſos furentium delirationes. Ut autem recte definiri poſſint, quae ad Mentis libertatem ſpectant, quidnam libertatis nomine intelligatur in anteceſſum aperiendum. Et I. liberum dici aliquando ſolet, quod lex nulla vetat. At libertatis notio latius patet; cum plurima agi ſoleant, quae neque leges, neque ipſum rationis lumen fieri permittunt.

II. Ut idearum implicatio nullum heic locum obtineat, advertatur, quod Libertas vel communi

(a) *Syſteme de la Nature Tom. I. Cap. XI.*

muni, vel propria ſententia accipi poteſt. Communi ſententia eſt voluntas libera ab omni cauſſa, quae extrinſecus cogat. Sic libere agere dicuntur homines, quod ſponte ſive voluntarie, atque ab omni ut ajunt coactione immunes agunt. Ita ſane univerſi felices eſſe volumus, & licet in noſtra non ſit poteſtate, ut beati eſſe nolimus: id tamen libere nos velle recte quis dixerit; quippe nulla vi adacti, ſed promto ac libenti animo volumus. Hinc nonnunquam liberum ac voluntarium promiſcue uſurpantur; adeo quidem, ut quod *libentiſſime* agitur, *liberrime* fieri dicatur.

Verum Libertas proprio ſenſu accepta dicitur illa, quae omnem neceſſitatem tum internam, ſive naturae, tum externam, ſive coactionis excludit: & quae proprio vocabulo *libertas electionis* appellatur.

Quoniam autem electio in eo verſatur, ut agi, vel non agi: tum ut hoc potius, quam illud fieri; ac tandem ut bonum, aut malum admitti poſſit; propterea triplex vulgo diſtingui ſolet libertas. Prima quae dicitur *Contradictionis*, altera *Specificationis*, tertia *Contrarietatis*.

Libertas contradictionis eſt facultas agendi vel non agendi: ſpecificationis, facultas eſt agendi hoc vel illud, ſervato ordine finis: contrarietatis vero, facultas eſt agendi bonum, vel malum praetermiſſo ordine finis.

Verum ſedulo diſtinguendum eſt inter eſſentiam, & ſtatum libertatis. Quod enim ad libertatis eſſentiam attinet, ea quidem conſiderari poteſt vel ex parte principii, vel ex parte termini.

 Si

Si principium inſpicias, tunc vera libertas eſt, cum nullo principio extrinſecus cogitur, nullo ligatur: atque eo expeditior, quo vinculis omnibus externis ſolutior eſt. Sin ad terminum ſpectes, tunc vera libertas, cum nulli addicitur objecto, nulli deſtinatur actui, a quo abſtinere non poſſit: & quo minus ab objectis pendet, eo liberior voluntas eſt. Libertatis igitur eſſentia in eo ſita eſt, ut poteſtatem ad oppoſita ſervet voluntas. Haec autem poteſtas in eo verſatur, ut agendi vel non agendi facultas ſit. Ergo ad eſſentiam pertinet libertas, quae dicitur contradictionis.

Libertas vero ſpecificationis potiori jure ſtatui, quam eſſentiae libertatis propria eſt & peculiaris. Ad ſtatum enim pertinet, quod plures vel pauciores praeſto ſint rationes, ſive quae *media* vocant, quibus finis obtinetur. Quod igitur voluntas facultate praedita ſit, ut hoc vel illud agat, hoc potius, quam illud *medium* eligat, ſtatus eſt, non eſſentia libertatis.

Libertas tandem contrarietatis defectus eſt, non perfectio libertatis, quippe quae facultas eſt deficiendi a fine, a lege, a jure. Quod ſane licet a praeſenti noſtra conditione divelli nequeat, illius tamen imperfectionem praeſefert. Verum haec fuſius in Theologicis Inſtitutionibus.

Antequam vero hujuſmodi libertatem humanae Menti vindicemus, praetereunda non videtur ſingularis de libertate Joannis Lockii opinio, ut quae non paucos nacta patronos ſpecioſa eſſe cenſetur. Is quidem quaeſtionem de voluntatis libertate perinde abſurdam eſſe adſerit, atque abſurdum eſſet,

eſſet, ſi quis quaereret, num *ſomnus ſit rapidus*, aut *virtus quadrata* (*a*).

Voluntas enim, ut ipſe diſſerit (*b*), non eſt, niſi facultas, qua Mens ſuas determinat cogitationes, ut aliquam eliciant, ſive impediant actionem, prout illa a noſtra poteſtate pendet. Quod quidem uberius paullo ante expoſuerat (*c*), cum ait ſingulos ejuſmodi in ſe facultatem experiri, qua plures tum Mentis actus, tum corporis motus aggredi, aut ab iis abſtinere, eos continuare, aut cohibere poſſint. Id autem non aliunde proficiſci ſentimus, quam e quadam noſtrae Mentis cogitatione, quae certum quemdam actum fieri, aut omitti veluti jubeat. Libertatem vero eam eſſe facultatem ſubnectit, qua agere, vel non agere homo poſſit, prout illud fieri, vel non item Mens elegerit, prout nimirum homo ipſe voluerit.

His ita conſtitutis perſpicuum fieri docet, nullum quaeſtioni de voluntatis libertate locum relinqui: quippe eo res recideret, ut id unum agitaretur, num facultas eſſet alia facultate praedita. Atqui facultates agentibus propriae ſunt & peculiares, utpote ſubſtantiarum attributa, quae aliis facultatibus adſcribi nequeunt. Quamobrem ne perverſe vocibus abutamur, ita quaeſtionem proponendam eſſe pronuntiat, *Num homo ſit liber*.

Verum ne ambiguitate laboret opinio tota; advertendum eſt, hoc unum & olim & in praeſenti

K 2

[a] *Eſſai de l'Entend. L. II. c. XXI.*
[b] *Loc. cit.* §. 15.
[c] §. 5.

ſenti quaeſitum fuiſſe, num hominis voluntas ſic aliquid velit, ut nolle poſſit, ſic appetat, ut abſtinere valeat: ſive, quod eodem redit, num homo ipſe cum vult ita velit, ut nolle poſſit, ita appetat, ut abſtinere poſſit. Omnis igitur controverſia in ipſa voluntate, in ipſo homine volente verſatur. Num vero quod homo jam voluit, exſequi poſſit, alia iſthaec quaeſtio eſt. Nemo quidem negat ineſſe homini facultatem volendi, facultatem agendi quae vult: ſed illud quaeritur, num ita velit, ut nolle poſſit.

Lockius ſane tantum a vero aberrat, ut in quo libertatem conſtituit, ibi libertas ſita eſſe nequeat. Quaeri enim poteſt, num facultas volendi poſſit abſtinere a volendo: at ſtulte quis quaereret, num facultas agendi poſſit non agere, quae homo vult. Scilicet iſthaec facultas imperio voluntatis ſubjicitur, ut quae illius juſſa capeſſit. Volendi vero facultas ſuorum actuum eſt domina; quod ſane dominium poteſtatem ad oppoſita complectitur. Qui ſeipſum intelligit, in ſeipſo quae dicimus experitur: ſed qui ne ſeipſum quidem intelligit, nec ea quae dicimus, nec quae Lockius tradit, unquam aſſequetur.

PROPOSITIO. *Humana Mens in ſuis volitionibus, & nolitionibus libera eſt.*

Demonſtratur I. Quicunque interiores conſcientiae voces attento animo excipiet: is quidem perſpicuo, ac vivido ſenſu ſuae Voluntatis libertatem experitur. Atqui reapſe nobis propria ſunt, quae ſenſu intimo aſſequimur. Ergo.

Et 1. unuſquiſque intelligit haud tenue intereſſe diſcrimen inter voluntatem, qua beati eſſe, atque

atque inter eam, qua quodlibet agere, puta *deambulare* volumus. Quis enim conſcius non eſt, ſe prohibere non poſſe, quominus beatus eſſe velit, poſſe tamen ſibi deambulatione interdicere? Atqui hujuſmodi diſcrimen univerſas noſtras voluntates praeter beatitudinis appetitum liberas eſſe ſuadet. Ergo.

2. Rurſus ſaepe nobiſcum taciti agitamus, ſitne aliquid agendum: & perinde decernimus, atque nobis collibuerit. Atqui nunquam conſilia nobiſcum inimus, num felices potius, quam non item eſſe velimus. Intimus igitur ipſe ſenſus quemadmodum naturali impetu ad beatitudinem nos contendere admonet: ita manifeſte arguit liberos prorſus eſſe ad cetera omnia eligenda.

3. Quicunque ſe aliquid minus rectum admiſiſſe deprehendunt; peccati quidem ita eos poenitet, ut non leve diſcrimen inter hujuſmodi dolorem intereſſe ſentiant, atque illum, quem affert corporis morbus, rei familiaris jactura, aut alia hujus generis aegritudo. Atqui non aliunde tam diverſus iſte animi cruciatus proficiſcitur, niſi quia dolorem illum capimus ex idea mali, quod vitari poterat, & quod nobis noſtri duntaxat cauſſa ingruit. Id igitur monet eam nobis ineſſe libertatem, ut utrique parti adhaerere poſſimus; & nobis ipſis duntaxat vitio vertendum eſſe, ſi deteriora ſequamur.

4. Nemo eſt, quin agnoſcat ſe animi deformitates haud odio perinde proſequi, atque eos vituperare ſolet, in quibus peccatur membrorum diſtortione, aut depravatione. Ita etiam unuſquiſque deprehendit non aeque a nobis commen-

dari in aliis venuſtum oris habitum, ac illos laudamus, qui praeclaras res gerunt. Atqui id non alia de cauſſa experimur, quam quod natura ipſa admonemur, homines inſita libertate ita uti poſſe, ut laudibus aut ignominia digni exiſtimentur, prout ea recte aut perverſe utantur. Ergo libertate nos praeditos eſſe ſenſu quiſque ſuo comprehendit.

II. Tantus eſt noſtrae Voluntatis appetitus, ut bona quaecunque caduca illum explere non poſſint. Atqui quod ita jucundum ſe praebet voluntati, ut toti ipſius aviditati ſatisfacere non poſſit; eam omnino determinare nequit. Libera igitur erit voluntas ad ea vel reſpuenda, vel amplectenda.

Et ſane ſummum atque interminatum bonum, quippe quod immenſum explet noſtrae voluntatis appetitum, ita nos occupat, ut neceſſario animi impetu ad illud adipiſcendum abripiamur. Hac autem proprietate deſtituuntur ſingularia quaevis objecta, quae boni duntaxat ſpeciem prae ſe gerunt. Vix enim illa veluti primis, ut dicitur, labiis Mens delibat, cum ea extemplo faſtidit.

III. Bona quaecunque ſingularia ejuſmodi ſunt, ut & boni & mali ratio in iis deprehendi poſſit. Atqui motiva, quibus Mens ducitur, ut velit aut nolit, boni ſunt malique rationes. Plena igitur adeſt Menti libertas, ut eligat aut reſpuat ſingularia quaevis objecta.

IV. Ratiocinandi vi Mentem praeditam eſſe nobis ipſi teſtes ſumus. Atqui pleniſſimam noſtrae Mentis libertatem facultas iſthaec complectitur. Deliberatio enim atque optio, quam ratio-

tiocinando abſolvimus, in iis obtinet, in quibus liberum nobis eſt, ut alia prae aliis eligamus; aut aliquid potius ampleċtamur, quam non item. Ergo.

V. Tandem humanae Mentis libertas omnium populorum & gentium conſenſu comprobatur. Gentem enim nullam videmus, quae legibus caret aptis ad jubendum & vetandum: quae praemia & ſupplicia non proponat, quibus ad recte facta vocat, & a peccatis avocat: apud quam laudes & vituperationes non obtineant; aut nullus minis atque exhortationibus tribuatur locus. Atqui haec omnia conſiſtere nequeunt, niſi in explorato ſit hominum libertas. Noſtrae igitur Mentis libertatem vox ipſa naturae, quam nationum omnium conſenſio exprimit, vehementer confirmat.

Objicitur I. Potiſſimum argumentum, quo humanae Mentis libertas adſtruitur, ex intimo ipſius libertatis ſenſu colligitur. Atqui ſi ſenſum hunc penitius inſpiciamus, noſtrae *ἐνεργείας* (*activitatis*) perſuaſionem, & cauſſae, quae nos determinat, ignorantiam illum complecti comperiemus. Ergo, Minorem Propoſitionem probat Bayle. (*a*) Eadem ratione propriam exſiſtentiam, ac noſtram determinationem ſentimus. Noſtram autem exſiſtentiam ſentimus; licet non ſentiamus actum cauſſae, quae efficit, ut exſiſtamus. Ita noſtram determinationem ſentimus: ſed non actum cauſſae, quae nos determinat.

[a] *Réponſe aux Queſtions d' un Provincial Tom. III.*

Reſp. Licet duntaxat meam determinationem ſentirem; in explorato tamen mihi eſſet hanc determinationem mihi ineſſe; atque inde deducere poſſem, illius cauſſam a me eſſe repetendam. Quod ſi non ipſe me determinarem, oporteret, ut cauſſa ſuperior, quae me determinat, ſenſum ac perſuaſionem propriae determinationis in me excitaret, ſenſum ſane falſum ac fallacem. Verum non modo me ad volendum determinatum, ſed etiam me ipſum determinare plane perſentiſco. Quemadmodum & me ad ideas attendentem, & me ideas ipſas mihi repraeſentantem ſentio. Me autem exſiſtere ſentio: at ipſe mihi conſcius ſum haud me eſſe, qui me ad exſiſtendum determino, aut aliquid ad meam exſiſtentiam confero.

Objicitur II. Humanae Mentis libertas non e ſenſu, ſed ab accurato noſtrarum actionum judicio repetenda eſt. Atqui ſi ſingulos noſtrae Mentis actus expendamus, nullum in iis libertatis veſtigium deprehendemus. Ergo. Aſſumtionem ita fere probat Collinius. Humanae Mentis vires eo ſe extendunt, ut percipiat, judicet, ac velit. Atqui 1. idearum perceptio libera non eſt. Illae enim ita nobis occurrunt, ut Mentis oculos ab eis avertere nequeamus. Ergo.

Reſp. 1. Collinius ideas a ſenſationibus non diſtinguit. Senſationes enim hujuſmodi ſunt, ut prohibere non poſſimus, quominus illae in nobis excitentur, cum ad corporis ſenſus externae res appellunt. Quamvis penes Mentem ſit, ut impediat, quin objecta quaedam in ſenſus incurrant: quo ſane pacto jure quis diceret liberas

no-

nobis eſſe non paucas ſenſationes. 2. Veluti exploratam ſtatuit idearum originem, quaſi ipſae res externae eas Menti offerant: atque ſibi perſuadet Mentem, quod ad ideas pertinet, *paſſivam* prorſus eſſe. At Mentem rerum ideas ſibi ipſam efformare ſuperius oſtendimus.

2. Objicit Collinius. Omnis propoſitio aut per ſe ipſa, ſive per demonſtrationem evidens, aut probabilis, aut dubia, aut falſa Menti neceſſario proponitur. Nulla igitur libertate ipſa utitur in judiciis.

Reſp. 1. Ambiguitate laborat totum argumentum. Propoſitionum naturam mutare profecto non poſſumus: adeo quidem, ut ſi illae verae, aut falſae fuerint, per nos minime liceat, ut verae aut falſae non ſint. Verum plena nobis adeſt libertas, ut, evidentibus exceptis, aſſenſum noſtrum uſque ſuſtineamus, donec ideis attentius inſpectis, de propoſitionum veritate aut falſitate judicemus.

2. Neceſſum omnino non eſt, ut propoſitiones verae aut falſae nobis exhibeantur. Praejudicia enim, cupiditates, obtuſa Mentis acies, aliaque hujuſmodi in cauſſa ſunt, quamobrem veritas, aut falſitas propoſitionum interdum minime deprehendatur.

Ceterum illud advertendum eſt, quod propoſitiones, ſive res objectae per ſe aut verae aut falſae ſunt; nobis autem vel evidentes, vel probabiles, vel dubiae videntur. Veritas nimirum & falſitas eſt *terminus*, ut ajunt, *abſolutus*; evidentia vero, & probabilitas *relativus*. Veritatem quidem & falſitatem a propoſitionibus amovere

non

non poſſumus: at poſſumus a nobis rejicere earum probabilitatem, atque evidentiam, ſi axiomata excipias, & quae *intuitive* ſunt evidentia. Adeſt enim nobis poteſtas, ut a quibuſdam rationibus Mentem avocemus, vel ad rationes contrarias convertamus.

3. Opponit Collinius. Omnis noſtrae Mentis voluntas in eo verſatur, ut alterum prae altero eligat. Atqui idem prorſus hoc eſt, ac judicare, num bonum, an malum ſit objectum; aut utrum utri ſit anteponendum. Perinde igitur Mens vult, atque ipſa judicat. Nulla autem in judiciis Menti libertas ineſt. Neceſſario igitur Mens vult, aut eligit.

Reſp. Id omne falſum eſt, quippe innititur iis, quae de judiciis Collinius comminiſcitur. Praeterea non advertit Collinius, quod plerumque licet bona videamus, eaque bona eſſe judicemus, deteriora tamen ſequamur. Prout enim animo affecti ſumus, prout ſe habent privatae opiniones, prout praejudiciis imbuimur, prout tandem cupiditatibus occupamur; ita res ipſas conſideramus; ac propterea liberum nobis eſt, ut varie nos determinemus.

At urget Collinius. Igitur prout nobis apparent objecta, prout nimirum propriae animi conditioni ea referuntur, ad agendum nos ducimur. Ergo neceſſario se Mens determinat.

Reſp. Nemo negat perinde nos ipſos determinare, atque objecta nobis conſentanea eſſe ultimo judicio exhibemus. Trahit nimirum ſua quemque voluptas: & quod magis delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt, neceſſitate *in-*

fal-

fallibilitatis, ut ait D. Thomas, non naturae. Verum heic non quaerimus, quaenam ſint rationes, quibus homo ducitur, cum operatur. In eo eſt omnis diſceptatio, num liber ſit homo, cum agit; adeo quidem, ut poſſit aliis rationibus inſpectis non agere, aut aliud pro arbitratu eligere. Id autem ex iis, quae unuſquiſque experitur, definire poterit.

Cum enim res objectae non unum, ut ita inquam, aſpectum praeſeferant; hinc multifariam eas ſibi repraeſentare Mens poteſt: atque alias idcirco, neglectis aliis, rationes conſectari poteſt, quibus ad agendum ſeſe determinet. Praeterea nemo ſibi conſcius non eſt, quod licet operetur, prout ab objectis afficitur, poteſt tamen attentionem ab iis avertere; poteſt alia ſibi proponere, quorum meditatione cupiditatum aeſtus deferveſcat; poteſt rationem, aut contrarias cupiditates opponere; poteſt tandem aliter ſe determinare, atque ipſi ſuadent rerum objectarum impreſſiones ſuo ingenio conſentaneae.

4. Opponit Collinius. Mens ſenſilis eſt; oportet igitur ut aeque voluptatem, ac dolorem ſentiat. Atqui unuſquiſque ut natura ad voluptatem ac felicitatem tendit, ita dolorem averſatur. Dolor igitur & voluptas ſunt duae cauſſae, quae Mentem neceſſario determinant.

Reſp. Ridendus eſt Collinius, *chorda qui ſemper oberrat eadem*, ut ille ait. Dolor enim & voluptas ſi ejuſmodi ſint, ut rationis lumen prorſus extinguant, nullus libertati locus relinquetur. Ceteri vero quicunque dolores, aut voluptates tanti non ſunt, ut voluntatem neceſſario de-

determinent. Dolor enim ita conſiderari poteſt, ut boni ratio in eo inſpiciatur; dolori vehementior dolor, aut voluptas opponi poteſt. Eodem pacto voluptati jucundior voluptas, aut dolor objici, atque in ea doloris ratio deprehendi poteſt.

5. Objicit Collinius. Singuli hominis actus initium habent. Quod initium habet, ab aliqua cauſſa proficiſcitur. Atqui omnis cauſſa eſt neceſſaria. Et ipſi igitur actus ſunt neceſſarii. Si enim cauſſa neceſſario non eſſet id, quod eſt; indifferens eſſet, ut hos aut illos effectus produceret; nullus ergo ſequeretur effectus. Igitur certae quaedam cauſſae certis effectibus reſpondent. Sed quae cauſſae ad certos quoſdam effectus referuntur, quoſcunque alios effectus neceſſario excludunt. Cauſſae igitur ad effectus relatae, cauſſae ſunt neceſſariae.

Reſp. Diſtinguendum: ſi de cauſſis materialibus ſermo ſit, totam argumentationem concedimus: ſin de ſpiritualibus, quae ratione, conſilio, ac deliberatione utuntur, negamus. Materiales enim cauſſae non aliter effecta producunt, quam ſi aliquam ſui portionem nova forma praeditam per partium ſecretionem conſtituant. Haec autem productio eſt neceſſaria, qua cauſſa neceſſario ſeipſam immutat, vel potius immutatur, ita quidem, ut aliam mutationem ſubire non poſſit. At cauſſae, quae ratione, & conſilio funguntur, quae nulla partium diviſione effectus edunt, quae actibus ſuis, ut ajunt, *virtute aequivalent*; ut volunt, ut optant, ut eligunt, ita actus exſerunt ſuos ex propria virtute repetitos, ac veluti evolutos.

Ve-

Verum ad generalia quaedam principia rem revocemus. Vulgo cauſſae neceſſariae appellantur, quae naturae, vel alterius cauſſae neceſſitate ita ad agendum determinantur, ut nullam ad oppoſitum poteſtatem habeant. Cauſſae igitur neceſſitatem ex effectibus deprehendimus, quos cauſſa omnino proferre debet. Neceſſarii nimirum effectus cauſſam poſtulant neceſſariam: at effectus liberi, qui ſcilicet aeque eſſe, ac non eſſe poſſunt, cauſſam liberam poſcunt. At enim omnis cauſſa neceſſario eſt id, quod eſt. Scilicet omnis cauſſa cauſſae rationem habet; quae enim nullum profert effectum, cauſſa dici nequit. At enim certae quaedam cauſſae certis quibuſdam effectibus reſpondent. Nempe ſinguli effectus ſuas habent cauſſas. At enim quae cauſſae certis quibuſdam effectibus reſpondent, alios excludunt. Fatemur enimvero; ſi quidem illos virtute non complectantur; quod enim tanta virtute praeditum non eſt, quanta eſt opus, ut effectus producatur, effectum illum edere nequit. Sophiſma corruit vocum ambiguitate ſublata.

Objicitur III. Naturale vinculum cerebrum inter, ac Mentis cogitationes intercedere experimur. E cerebri igitur diſpoſitionibus pendent quaecunque Mentis cogitationes. Ergo nulla ſuarum cogitationum libertas Menti ineſt. Id autem ita oſtendit Anonymus, cujus ſupra meminimus: atque eodem revocari poſſunt, quae profert Meriannus.

Ea eſt communis omnium opinio, quod in ebriis, inſanis, lethargicis, aliiſque Mens omni libertate deſtituatur; quia nimirum cerebri diſpo-

ſitio-

ſitiones eam mutationem ſubierunt, ut iis reſiſtere Mens nequeat. Atqui ſyſtema, quod cerebri diſpoſitionibus modo Mentem addicit, modo eamdem ab iis eximit, conſiſtere nequit. Illud igitur pro explorato ſtatuendum eſt, nunquam Mentem cerebri diſpoſitionibus non eſſe obnoxiam.

In iis enim, qui ſani ac valentes ſunt, ſi Mens cerebri diſpoſitioni reſiſtit, eadem ſane reſiſtet cerebri diſpoſitioni, quocunque illud morbo laboret. Quippe cum primae diſpoſitioni reſiſtit, ea facultate reſiſtere dicendum eſt, quae a cerebro minime pendet; ſemper igitur reſiſteret. Ergo cerebro ex vi morbi perturbato libertate Mens non careret.

Statuamus igitur oportet, Mentem cerebri diſpoſitionibus ſemper addictam perinde ſe determinare, ac illae poſtulant. Nulla igitur libertas in ſingulis Mentis actionibus fingi poteſt.

Reſp. 1. Univerſa, quae diſputat Anonymus, ultro concedimus, ſi ut cerebrum ita & Mens corporea ſit, ac reciproca actione, & reactione ſe petant. Negamus vero: ſi altera corporea, altera ſpiritualis ſit ſubſtantia: ac propterea utraque diverſi generis virtutis, & actionis. Ita enim non contactu quodam actio & reactio perficitur, ſed vi conjunctionis a naturae auctore inſtitutae, cujus ratio omnis nobis eſt incomperta.

2. Reſpondeo infirmo inniti fundamento, quae ipſe differit. Mutuus enim Mentis Corporiſque conſenſus, in quo utriuſque Subſtantiae ſita eſt Conjunctio; iis legibus adminiſtratur, ut altera ab altera pendeat: quemadmodum uberius proximo Capite diſſeremus. Ex vi igitur conjunctio-

nis

nis proficiſcitur, ut ſuas Mens nequeat exercere facultates, niſi aptiſſima ſit corporis fabricatio. Atque hinc eſt, ut ſi morbo aliquo corporis machina laboret, ipſius Mentis facultates detrimentum patiantur.

Haec vero nihil commune habent cum iis, quae Anonymus comminiſcitur. In eo enim Mentis corporiſque ſocietatem ipſe conſtituit, quod corporis ſive cerebri motionibus Mens ita ſubjicitur, ut neque cogitare, neque aliquid velle poſſit, niſi ab iis determinetur. His autem animadverſis illud quidem ſequeretur, cogitandi facultatem a cerebri motionibus eſſe repetendam. Cum enim ex cerebri diſpoſitionibus Mens cogitet, neque aliter ad agendum ſeſe determinare poſſit, quam ipſae cerebri motiones poſcunt: profecto ſuas facultates conjunctioni cum corpore initae acceptas referre Mens debet. Id autem ultro negabit Anonymus; ſi quidem Mentem ſpiritualem eſſe ſubſtantiam a corpore omnino diverſam agnoſcit.

Jam vero non ea de cauſſa inſani, ebrii &c. libertate deſtituuntur, quod in iis cerebri diſpoſitionibus volens reſiſtere Mens nequeat: ſed quod facultatum ſuarum exercitio prohibeatur. Nulli enim ipſorum Mens neceſſitati addicitur; quaſi perturbata cerebri temperatio ad vitioſas actiones eam redigat. Ex vi legum, quibus Corpori Mens conjuncta vivit, prohibetur ipſa, quominus ſuis facultatibus utatur. Virium enim aequilibrium in cerebro, contrariae cerebri diſpoſitiones, quae & ad bonum, & ad malum Mentem impellant, aegri ſomnia ſunt, quae nobis venditat Anonymus. Quae corporis ac cerebri ſint veluti munia

in

in ſenſationibus, quidve ipſorum motiones Mentis cogitationibus conducant, mox proſequemur.

Quod ex divina futurorum praeſenſione adverſus hominum libertatem objicitur, planum fiet, cum de Dei Praeſcientia ſermo inſtituetur.

CAPUT VI.

De Mentis & Corporis Conjunctione.

QUae Mentem inter & Corpus intercedit communitas, incomparabilem Dei ſapientiam praedicat, ac potentiam, qui valde inter ſe repugnantes ſubſtantias ſtabili veluti junctas connubio ſociavit. Tanta enim affinitate Mentem cum eo, quod geſtamus Corpus, devinctam eſſe experimur, ut in rerum univerſitate conjunctior ſocietas ne excogitari quidem, nedum conflari poſſe videatur.

Verum hujuſmodi Mentis cum corpore ſocietas quamvis merito admirationem omnium in ſe convertat, non ita tamen captum ſuperat, ut per ſe ipſa intellectu difficilis ſit. Quam enim obſcuritatem parit, ea inde oritur, quod illam pro eo, ac par eſt, non intueamur. Nam qui duas ſubſtantias conjungi ſimul non poſſe ſibi perſuadent, niſi mutuo ſeſe contingant, aut altera ad alteram veluti adnectatur: hi quidem nullo inito foedere Mentem & Corpus coire poſſe, plana per-

ſpiciunt. Difficilis enim cuique occurrit cogitatio, qualis Mens, quae omnem extenſionem excludit, corpori mutuo contactu adhaereat, aut cum illo extendatur.

Quamobrem id primum definire oportet, quidnam conjunctionis idea praeſeferat, quae Mentem inter & Corpus intercedit. Porro cum duo ſubſtantiarum genera cognita habeamus, Spiritus nimirum & Corpora; hinc eſt, quod tres tantummodo Conjunctionis ſpecies a nobis intelligi queant. Aut enim inter duo corpora, aut inter duos ſpiritus, aut tandem ſpiritum inter & corpus Conjunctio iniri poteſt. Haec autem cujuſcunque ſit generis in eo ſita eſt, ut ambae ſubſtantiae *relationem* quamdam ſecum habeant, altera ſcilicet ab altera mutuo pendeat. Enimvero tum demum duas ſubſtantias conjunctas eſſe, atque eas quodam ſenſu in unam veluti rem coaluiſſe intelligimus, cum ejuſmodi foedere conſociantur, ut alternis quodammodo agant, & patiantur.

Conjunctio igitur Mentis cum corpore in eo verſatur, quod talis ſit inter utramque ſubſtantiam conſenſio, ut certis quibuſdam Mentis cogitationibus certae quaedam reſpondeant corporis motiones: & contra certos corporis motus ſequantur certae Mentis cogitationes.

Jam vero cum ea ſit conjunctionis indoles, illud quaerendum videtur, quinam ſint nexus, unde conjunctio obſtringatur. Facile porro eſt vincula deprehendere, quae corpus corpori, aut ſpiritum ſpiritui conjungant. Nam 1. reciproca duorum corporum actio & paſſio eſſe nequit, niſi alterum alteri adhaereat: idcirco quod inter duo

corpora conjunctionem conſtituit, potiſſima cauſſa eſt mutuus eorumdem contactus. 2. Spiritus autem non aliter actionem & paſſionem reciprocare poſſe videntur, quam ſi ejuſmodi ſit ſtudiorum omnium voluntatumque inter ipſos conſenſus, ut nihil alteruter velit, quod alter nolit, nihil averſetur, quod alter appetat. Quadere duorum ſpirituum conjunctio ex mutuo illorum amore proficiſcitur.

At quod ad nexum attinet, quo ſpiritus ſive Mens humana cum corpore conjungitur, paullo difficilior res eſſe videtur: praeſertim cum Philoſophorum in hanc rem ſententiae tantas tenebras offuderint, ut ipſa quidem Mentis cum Corpore conjunctio, quam vivido ſenſu experimur, vix quidem atque aegre in eorum ſyſtematis deprehendi poſſe videatur. Ut igitur quae ad Mentis & Corporis ſocietatem attinent, quanta fieri poteſt perſpicuitate, explicentur: 1. Conjunctionis vinculum inveſtigare: 2. Leges, quibus ea regitur, recenſere: 3. Senſationes, quas externis ſenſibus haurimus, proſequi: 4. tandem Mentis humanae Sedem in corpore perſcrutari in animo eſt.

§. I.

De Vinculo Conjunctionis Mentis cum Corpore.

TRes praecipuae ſunt, quas Philoſophi excogitarunt hypotheſes, ut rationem in medio ponerent, qua Mens humana corpori copulatur. Prima eſt communis omnibus Peripateticis, qui neſcio quem *phyſicum influxum*, ut ajunt, Men-

Mentis in Corpus, atque hujus in Mentem invexerunt. Cenſent enim quod quicunque a praejudicata opinione liber eſt, is quidem natura ipſa duce Mentem & Corpus, quod geſtat, ejuſmodi ſocietate devinciri animadvertit, ut Mens in Corpus, atque illud in Mentem proxime agat.

Praeterea nemo eſt, niſi quis conſcientiam ſuam prodere velit, quin reale commercium Mentem inter & Corpus intercedere ſentiat. Atqui nullum id futurum eſſe ajunt, niſi Mens per totum Corpus diffuſa tota in toto Corpore, ac tota in qualibet ipſius parte phyſice in illud actionem ſuam intenderet, & viciſſim illius actionem phyſice ſubiret.

Addunt porro hac ſtatuta hypotheſi facile explicari quae in homine locum habent phaenomena. Niſi enim Mens undequaque per corpus diffuſa intime praeſens eſſet iis omnibus partibus, quas agitat, fieri non poſſet, ut ſtabili lege motiones illae naturales, unde conſtat vita & ſenſus hominis, peragerentur. Adhaec neque Mentis amori, irae, timori, aliiſque affectibus ſtatim corporis commotiones reſponderent: neque e nutu voluntatis penderent quaecunque partium corporis motiones: neque demum certi quidam corporis motus determinatas in Mente excitarent perceptiones.

Quae cum ita ſe habeant, concludunt Peripatetici neceſſum eſſe, ut Mens phyſice, reali ſcilicet quadam vi corporis organa moveat: & viciſſim cerebrum in Mente producat rerum perceptiones, quae in externos ſenſus offendunt, ope praeſertim Intellectus *agentis* & *patientis*; quae deli-

delirantium Peripateticorum ſomnia ſuperius innuimus, cum de Idearum origine ipſorum opinionem delibavimus.

Verum haec expoſita ſententia ab iis etiam, quibus ad hominis phaenomena explicanda ceteris aptior eſſe videtur, incerta prorſus & Mentis naturae adverſa traducitur. Id enim unum praeter alia non levis momenti Peripateticis obicit, quod ſi Mens corpus moveat, & viciſſim a corpore moveatur, ſibi invicem reſiſtant oportet; quippe actio a reſiſtentia divelli nequit. Qui autem quod corporeum non eſt, corpori, aut quod non extenſum extenſo reſiſtet? Phyſicus igitur influxus, qualem Peripatetici comminiſcuntur, Mentem inter ac corpus locum haberet, ſi Mens ejuſdem, ac corpus, naturae eſſe ſtatueretur.

Neque ad rem facit, quod nonnulli ajunt, fieri nimirum poſſe, ut alia detur actio, cujus nulla nobis ſuppetat idea, quae a reſiſtentia ſeparetur. Conclamatum enim eſſet de humana ſcientia, atque ita noſtrarum cogitationum ordo inverteretur, ut quaecunque mente aſſequimur, incerta, ambigua, & perplexa eſſent.

II. Altera ſequitur Peripateticorum opinioni adverſa ſententia, quae Franciſcum Nicolaum Malebranchium auctorem habuit. Is quidem negat Mentem eſſe phyſicam motuum Corporis cauſſam, aut corpus perceptionum Mentis, ſed duntaxat eſſe occaſionalem. Nimirum Deus ſecundum certas & permanentes leges ſtatim ac Mens voluerit, determinatos motus in corpore producit; contra vero ubi res externae in corporis ſenſus agunt, certas excitat in Mente cogitationes. Itaque-

que Deus ipſe ἀμέσως (*immediate*) auctor eſt mutui commercii, quod Mentem inter & Corpus intereſt: atque utraque ſubſtantia *moralis* tantum cauſſa eſt, ſive *occaſionalis*. Hinc Malebranchiana haec hypotheſis ad cetera phaenomena dilatata *Cauſſarum Occaſionalium* dicitur.

Plura ſunt quae adverſus hoc ſyſtema oppo- nunt, quibus illud non arridet. 1. Imaginarium duntaxat commercium Mentis cum corpore admittitur; quod interiori conſcientiae refragatur. 2. Corporum exſiſtentia incerta prorſus eſſet, ac talis, quae niſi divina revelatione nobis innoteſcere non poſſet. 3. Nulla ſuppetit ratio, cur nonnunquam iiſdem motionibus corporis aut nullae, aut non eaedem Mentis cogitationes reſpondeant.

4. His adde, quod ſi ex occaſione motuum corporis cogitationes, atque appetitiones Deus in Mente producat, nulla erit in ſuos actus Mentis libertas. Quis enim liberam Mentem diceret, quam Deus in corporis gratiam ipſe *modificat*? 5. Scelera, quae per corpus patrantur, Menti imputari non poſſunt; quippe illorum Deus phyſica, moralis duntaxat Mens cauſſa eſt. 6. Sed ne ipſa quidem peccata, quae intrinſecus admittuntur, Menti adſcribi poterunt; cum ea occaſione motuum corporis neceſſario in Mente producantur.

III. Demum tertiam commenti ſunt hypotheſim Gothofredus Guilielmus Leibnitius, ejuſque aſſecla Chriſtianus Wolfius. Ea autem ita fere ſe habet. 1. Humana Mens ejuſmodi a Deo creata eſt, ut vi ſua ſine ope externae cauſſae perceptiones atque appetitiones omnes producat: ita tamen ut

poſterioris perceptionis & appetitionis in antecedentibus ratio ſufficiens contineatur. Unde efficitur continuatam perceptionum atque appetitionum ſeriem in Mente futuram eſſe, etiamſi Corpus non exſiſteret.

2. Corpus, quocum Mens conjungitur, eo artificio compactum eſt & conſtitutum, ut abſque Mentis ope omnes continuata ſerie motus peragat; quorum quidem alii alios deinceps eodem ordine conſequerentur, licet nulla eſſet Mens, cui copularetur.

3. Haec igitur duo veluti *αὐτόματα* Mentem ſcilicet & corpus ita ſimul Deus conjunxit, ut ſeries motuum corporis ad amuſſim perceptionibus & appetitionibus animae reſponderet. Atque inde exſurgit admirabilis ille Mentem inter & Corpus nexus, atque inter utriuſque ſubſtantiae actiones conſenſio: quam propterea *Harmoniam praeſtabilitam* appellarunt.

Leibnitianum Syſtema non paucis ſcatere erroribus fere omnes advertunt. Et 1. in eo peccat, quod nulla ratione adſeritur ejuſmodi perceptionum atque appetitionum ſeries, ut eadem omnino eſſet in Mente, etiamſi Corpus non exſiſteret. Praeſertim cum ipſe Wolfius (*a*) demonſtret Mentem ſibi rerum univerſitatem repraeſentare ſecundum mutationes, quae in organis ſenſoriis contingunt. Idem dicito de motibus, qui vi *μηχανήματος* (*mechanici artificii*) in corpore abſque aliqua Mentis opera peraguntur; id enim merae hypotheſis loco aſſumi ne ipſe quidem diffite-

[a] *Pſych. Rat.* §. 62.

ſitetur Wolfius. 3. Falſum eſt omnium perceptionum in Mente, & motuum in corpore rationem ſufficientem in antecedente reperiri, quippe plerumque contingit, ut ea aliunde repetenda ſit, ab externis nimirum cauſſis.

4. His & illud accedit, quod recenſita hypotheſis facilem viam munit ad Idealiſmum. Si enim Mens ipſa ſibi cauſſa eſſet omnium idearum, ita quidem ut illae Menti ineſſent, licet res externae non exſiſterent: nulla profecto ratione perſuadere ſibi poſſet ideis ſuis aliquas extra ſe res exſiſtentes reſpondere. 5. Nulla eſſet in ſui corporis motus imperium, nulla libertas. Quamvis enim illi determinati propterea eſſent, quod Deus fore praeſcierit, ut eos Mens voluiſſet: neceſſario tamen fierent, ut qui ex vi μηχανήματος orirentur: atque idcirco nulla phyſica Menti libertas ineſſet.

Expoſitae Philoſophorum opiniones cum ſuis ſingulae laborent difficultatibus, illud forte nonnullis ſuadere videntur, abſtruſa nimirum eſſe vincula, queis humana Mens corpori conjungatur. Verum deſperata veritas non eſt. Ut enim cuique patet, non eo cogitationum ſuarum aciem intendiſſe videntur Philoſophi, ut nexum, quo reapſe Mentem cum corpore conjungi experimur, inveſtigarent: ſed ut ipſius nexus cauſſam inſpicerent, h. e. qua ratione nexus ille, quem fortaſſe deprehenderunt, aut facile deprehendere poterant, Mentem inter & Corpus locum haberet.

Id autem merito ipſorum torſit ingenium. Nam fruſtra erit quicunque Mentis facultates, quas ſenſu experimur, ea cogitatione aſſequi ve-

lit, ut quemadmodum illas Mens exſerat, adaequate cognoſcat. Ita ſi quis ſciſcitetur, quomodo Mens *velit*, *judicet &c.* quidnam ſcilicet Menti contingat, cum ipſa vult, judicat; quo pacto, ut ita inquam, *modificetur*: hujus quidem curioſitati fieri ſatis puto, ſi dicatur Mentem *velle* cum vult, *judicare* cum judicat.

Quamobrem ut vinculum, unde reapſe Mentis & Corporis conjunctio conſtat, deprehendamus, non heic argumenta inveſtiganda, non ratiocinationes longe petitae pertexendae, non hypotheſes calente cerebro confingendae ſunt: ſed quid ſentimus, quid experimur, accurate atque attento animo inſpiciamus oportet; quippe in iis, quae ad humanam Mentem attinent, unius Senſus & Conſcientiae judicium legitimum eſt, & candidiſſimum.

PROPOSITIO. *Vinculum, quo Mens cum Corpore conſociatur, cum potiſſimum Senſus eſt, tum etiam Appetitus, quo illa ad Corpus tendit.*

Demonſtratur prima pars Propoſit. Vinculum Conjunctionis, quae Mentem inter & Corpus inita Hominem conſtituit, illud eſt, unde conjunctio ipſa oritur, unde illa coaleſcere deprehenditur, quo tandem diſſoluto ſtatim eadem dirimitur. Hujuſmodi autem eſt noſtrae Mentis Senſus. Praecipuus igitur nexus, qui Mentem cum corpore copulat, Senſus eſt.

Probatur Aſſumtio. I. Mentis cum Corpore Conjunctio, ſive quod *Commercium* alii appellant, in eo ſita eſt, quod Mentis cogitationes, & motus Corporis ſibi mutuo reſpondeant. Atqui propterea Mentem inter & Corpus reciprocus iſte

ver-

verſatur conſenſus, quod Menti facultas ineſt, ut per se ipſa Corpus, quaeque in Corpore fiunt, ſenſu perſentiſcat. In qualibet enim ſenſatione externa Mens & Corpus ultro citroque in se, ut ita inquam, agunt & reagunt (*a*); ita quidem ut ambae ſubſtantiae a ſe mutuo pendere videantur. Itaque e Senſu proficiſcitur Mentis cum Corpore Conjunctio.

Re quidem vera ut res externae ad Corporis ſenſus appellunt, ibique certum motum ictui reſpondentem cient: Mens continuo, dummodo attendat, hujuſmodi motionem perſentiſcens res ipſas percipit, quae extrinſecus organa ſenſoria perculerunt. Mens igitur ut ſentiens eſt, nimirum ut ex motibus Corporis ſenſu exteriores res apprehendit, a Corpore pendet. Quare ſenſu

(a) *Quam heic mutuam Mentis Corporiſque actionem appellamus, ne quis velim exiſtimet eſſe phy*ſicum *quemdam Peripateticorum* influxum. *Iſthaec enim actionis & reactionis reciprocatio per Senſum ipſum abſolvitur. Duo Senſus complectitur, quod ſentit, & quod ſentitur. Senſum igitur prout* di*rectus, & prout* reflexus *eſt, conſiderare poſſumus. Nimirum Mens agit in Corpus, cum ſentit in corpore motum; ſentit autem, quia inſita ſentiendi facultate praedita eſt. Agit vero Corpus in Mentem, cum motus Corporis ſentitur a Mente, quae ſe hunc motum ſentientem ipſa ſentit. Qui ſane ſenſus reflexus eſt a motu corporis, quatenus* ſenſionis *terminus eſt. Itaque ſenſus directus in motum actio eſt Mentis; ſenſus reflexus a motu actio eſt corporis in Mentem. Atque hoc pacto ultro citroque agunt.*

ſenſu fit, ut Mentis cogitationes Corporis motibus reſpondeant.

Quid quod & ab ipſo ſenſu proficiſcitur, ut Corpus a Mente pendeat? Nam 1. quî fieret, quaeſo, ut quilibet motus in corpore excitus ſenſui excitando aptus eſſet, niſi Corpus illud alicui Menti adhaereret? Inde igitur Corpus a Mente pendere colligitur, quod in ipſo excitae motiones ejuſmodi ſint, ut ſenſum ciere valeant.

2. Quaelibet externa ſenſatio tum Mentem a Corpore, tum etiam Corpus ipſum a Mente pendere aperte oſtendit. Ubi enim ſenſatio eſt, ibi principium & terminus ſenſationis ſint oportet. Quis vero principium inter & terminum mutuam relationem non deprehendit? Quippe quemadmodum principium ſentiendi eſſe nequit, niſi terminus ſit, in quem illud intendit; ita cum non eſt ſentiendi principium, tunc nullus erit terminus ſenſationis. Quatenus igitur in Homine Senſus eſt, Corpus a Mente pendet.

3. Motus ipſi Corporis, quos *voluntarios* appellant, a Mente, ut ſentiens eſt, proficiſcuntur. Nam motiones omnes, quas, ut Menti collibet, in corpore ipſa determinat, ſenſus comitatur: qui ſi deeſſet, non video, quem uſum illae Menti praeberent, aut cui eſſent ipſi emolumento.

4. Ea eſt veluti neceſſitudo inter voluntarias Corporis motiones & ſenſum, ut cum illae morbi alicujus cauſſa peragi nequeant, ſenſus extinguatur: & cum hic exſpiret, motiones ipſae emoriantur. Hinc ſi quod corporis membrum e ſenſu Mentis eripitur, ita a voluntatis imperio deſciſcit, ut nulla ibi motio cieri poſſit. Cum igi-

tur

tur Senſus in cauſſa ſit, quare Mens a Corpore, atque a Mente Corpus pendeat, ipſe quidem nexus eſt, unde conjunctio Mentis cum Corpore coaleſcit.

II. Mentis facultas, qua externarum rerum in corporis ſenſibus ictus ſentit, ejuſmodi eſt, ut ea ne concipi quidem poſſit diremta Mentis cum Corpore conjunctione. Cum enim hujuſmodi Senſum Menti ineſſe ſtatuatur, ea corpori, in quo ſentiat, adjuncta eſſe concipiatur oportet. Sentiendi quidem facultas, ut modo innuimus, duo complectitur, & quod ſentit, & quod ſentitur. Quod ſentit in Homine Mens eſt, quod vero ſentitur, Corpus eſt, ſive motus in Corpore a rebus externis excitus. Atqui ſentiri nequit, niſi quod praeſens eſt, quodque loci temporiſque limitibus circumſcribitur; quippe quod abſens eſt, longoque temporis aut loci intervallo diſſitum, se ſentiendum praebere minime poteſt. Senſu igitur Mens Corpori adhaeret. Ergo reciprocus Mentis & Corporis nexus ſenſus eſt.

Atque adeo id verum eſt, ut non alia nobis pateat via, qua Mentem Corpori conjunctam eſſe noverimus, niſi quod Corporis ſenſationem experimur. Enimvero inde nobis perſuadetur Mentem noſtram corpori, quo veluti induimur, adhaerere, quod illud perenni ſenſu Mens perſentiſcat; quodque nihil omnino illi contingat, quod & ipſam non afficiat. Cum igitur Senſus nos doceat Mentem noſtram cum corpore devinciri, hujus Societatis vinculum Senſus erit.

III. Demum ſenſu extincto Mentis & Corporis Conjunctionem diſcindi explorata res eſt. Cum

enim

enim partium corporis temperatio ita perturbatur, ut ſenſui Mentis excitando ineptum ſit; Mens cum corpore divortium facit. Hinc Mentis & Corporis ſocietatem diremtam eſſe colligimus, cum omnem e corpore ſenſum excuſſum fuiſſe videmus: adeo quidem, ut ſi qua ſenſus ſcintilla micet, ſpes certa affulgeat Mentem & Corpus a mutuis amplexibus non adhuc eſſe divulſa.

Demonſtratur pars altera Propoſ. Alius qui Mentem cum Corpore nexus devincit, eſt inſitus ille Menti noſtrae amor, quo Corporis ſocietatem anhelat; & quo adeo flagrat, ut ſimul atque cum Corpore foedus inierit, ad illud diligendum applicetur, atque in eo conſervando occupetur. Quod ſane vinculum licet ejuſmodi non ſit, ut inde reciprocus Mentem inter & Corpus oriatur conſenſus; ita tamen Mentem afficit, ut veluti quodam tenaci glutine Corpori illam adjungat.

Hanc autem quam a natura habemus appetitionem, ſuo quiſque ſenſu comprehendit. Hujusmodi enim latentem intus amorem nihil eſt, quod non aperte prodat. Et ſane hinc 1. proficiſcitur, quod nemo ſit, qui non deſideret corporis partes omnes valere & vigere, naturales ejus motus uſusque habere, ut nec abſit quid eorum, nec aegrum debilitatumve ſit.

2. Idem Corporis amor in cauſſa eſt, quam ob rem, ſi qua in membris prava aut imminuta ſint, occultent homines: atque etiam contendant atque elaborent, ſi efficere poſſint, ut aut non appareat corporis vitium, aut quam minimum appareat: multoſque etiam dolores curationis cauſſa perferant.

3. Cor-

3. Corporis ſocietatem Menti non modo caram eſſe, verum etiam vehementer caram ſatis argumenti eſt, quod nemo, mors cum appropinquat, valde non perhorreſcat. Qui mortis metus licet ſpe futuri praemii in quibusdam minuatur, aut poenae formidine in aliis augeatur: diſceſſu tamen a corpore natura ipſa quiſque movetur. *In parvis enim ſaepe*, ut ait Tullius (*a*), a quo totidem fere verbis haec omnia mutuati ſumus; *in parvis*, inquam, *qui nihil eorum cogitant, ſi quando his ludentes minamur praecipitaturos alicunde, extimeſcunt*.

4. Hujus etiam appetitus perſpicua vis eſt, quod & mendicitatem multi perpetiantur, ut vivant; & non ferendis doloribus cruciari plerique malint, quam e vita diſcedere: adeo quidem, ut *cum se noverint eſſe morituros, pro magno beneficio ſibi hanc impendi miſericordiam deſiderent, ut aliquanto productius in eadem miſeria vivant, tardiuſque moriantur*. Auguſtini verba ſunt (*b*). Quod ſi nonnulli, quorum tamen perrarum eſt exemplum, velut qui ſibi ipſi bellum indixiſſent, mortem ſibi conſciverint: hi quidem aut ita dolore moventur, aut iracundia efferuntur, ut iſte naturae vincatur ſenſus, quo mors omni conatu vitatur: & se optime ſibi conſulere arbitrentur, ſi mortem obeant; ne forte propagatione vitae calamitates haurire cogantur.

Ex quibus illud ſane conficitur, ut Auguſtino au-

(a) *De Fin. Lib. V. cap. XI.*
(b) *De Civ. Dei Lib. XII. cap. XXVII.*

auctore utamur (*a*), *hanc eſſe naturae primam quodam modo & maximam vocem*, *ut homo concilietur ſibi*, *& propterea mortem naturaliter fugiat*: *ita ſibi amicus*, *ut eſſe ſe animal*, *& in hac conjunctione corporis atque animae vivere velit*, *vehementerque appetat*. Quem quidem humanae Menti a natura inſitum appetitum tam altas in eam radices agere exiſtimo, ut hoc diſcrimine praeter alia humanas Mentes a ceteris Spiritibus ſeparari dixerim, quod illae corpori conjungi expetant, hi vero nullo hujuſmodi amore moveantur.

At enim objiciet aliquis. Si Mens corpori Senſu conjungeretur, quoties in homine Senſus aliquamdiu extinguitur, toties Mentis cum corpore conjunctio diſcinderetur. Quis autem dixerit ecſtaſin, deliquium, lethargum, quo morbi genere correptis nullus ineſt ſenſus, Mentis corporiſque ſocietatem abrumpere? Aut igitur conjunctionis vinculum Senſus non eſt: aut totidem fieri divortia Mentis cum corpore dandum eſt, quot nimirum de cauſſis Senſus in homine deficere ſolet; quod qui diceret perabſurdus eſſet.

Reſp. Negamus in iis, qui animo linquuntur, lethargo urgentur, aut ecſtaſi abripiuntur, Senſum prorſus emori atque extingui: ſed illum veluti conſopitum langueſcere ac torpere adſerimus. Quod vel inde colligere licet, quod non omnia Senſuum organa ita veluti occludantur, ut nullam omnino ſenſationem excipiant, qui hujuſmodi morbo laborant. Cujus quidem rei teſtem locupletiſſimum habemus Reſtitutum illum, cujus me-

(a) *Ibid. Lib. XIX. cap. IV.*

meminit Auguſt. (*a*) qui *ad imitatas quaſi lamentantis cujuslibet hominis voces* a ſenſibus avocatus, quamvis *non ſolum vellicantes atque pungentes minime ſentiret, ſed aliquando etiam igne ureretur admoto ſine ullo doloris ſenſu . . . hominum tamen voces, ſi clarius loquerentur, tanquam de longinquo ſe audire poſtea referebat*. Nimirum qui vividus fuiſſet ſenſus, torpidus & languidus erat, cum hujuſmodi ecſtaſi abripiebatur.

Addam quod in Zodiaco Medico-Gallico apud Cl. Muratorium (*b*) narratur. Nobilis quaedam adoleſcentula aeſtuanti febre correpta furioſo delirio acta eſt. Ubi delirium deceſſit, ita ſenſus omnis ac motus in ea evanuit, ut e vita migraſſe crederetur. Dum paratur funus, quae defuncta habebatur ſuſpirium duxit. Statim domeſticos accurrere, & liquoribus, fomentis eam reficere. Tum ipſa ut rediit ad ſeſe Horatianum (*c*) illum imitata

. . . . . Pol me occidiſtis amici
Non ſervaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas,
Et demptus per vim Mentis grat ſſimus error.

Mira quippe se voluptate perfundi in eo Mentis ſtatu ajebat. Se parentum gemitus, & quae de celebrando funere domeſtici locuti erant audiiſſe narrabat. Haec autem Mentis ſuae tranquillitatem non perturbaſſe addebat. Quod quidem in hujuſmodi deliquiis Mentis ſenſum non ab omni parte extingui perſpicue oſtendit.

Ce-

---

[a] *De Civ. Dei Lib. XIV. cap. XXIV.*
[b] *Forza della Fantaſia Umana Cap. X. 9.*
[c] *Horat. Lib. II. Epiſt. II.*

Ceterum haec ipſa phaenomena Conjunctionis vinculum e Senſu proficiſci non obſcure innuunt. Patet enim, quod cum earum vi legum, quibus Mentis corporiſque ſocietas fovetur ac regitur, Senſus vividus eſt, viget etiam & nulla difficultate obſtante exercetur reciproca Mentis & Corporis conſenſio; quae quidem languet ac fere intercidit, vix ubi Senſus torpore correptus tanquam obdormiſcit.

§. III.

De Legibus Conjunctionis.

Admirabilis ille Mentem inter & Corpus conſenſus, in quo eorumdem Conjunctionem ſitam eſſe diximus, ſecundum quaſdam leges, easque ſtabiles & communes ab ipſo Conjunctionis Auctore latas, regitur atque adminiſtratur. Ut autem iſthaec Conjunctio Senſus teſtimonio nobis innoteſcit; ita & ipſa Conjunctionis certa veluti foedera eodem ſenſu experimur. Ea curſim dicendo heic delibabimus, non quaſi harum legum cauſſas explanaturi; id enim nimis operoſum eſſet, ac labor ad irritum caderet; ſed ut hujus Conjunctionis proprietates perſpectas habeamus.

Et I. reciproca Mentis corporiſque conſenſio ea lege peragitur, ut tales Mens ſenſationes excipiat, quales ſunt in Senſuum organis excitae motiones. Haec quidem ſtata lex eſt. Si enim remiſſae fuerint quae in ſenſibus externis oriuntur motiones, his languidae Mentis reſpondent ſenſationes: ſin contra vehementes, quae tamen ſen-

ſenſuum temperationi accommodeatur, hae ſunt vividae. Adhaec cum ſenſuum organa aut aetate imperfecta, aut uſu debilitata ſunt: imperfectas etiam & confuſas Mens haurit ſenſationes. Quod ſi tandem aliqua vi morbi impediantur, nulla in Mente oriri poteſt ſenſatio, cui per eam occluſam viam pateat aditus. Verum de ſenſationibus mox redibit ſermo.

II. Ita inter ſe ſtatum & conditionem Mens Corpusque reciprocant, ut & talis ſit Corporis habitus, atque ipſa Mentis affectio: & perinde ſe Mens habeat, ac eſt Corporis ſtatus. Conſtat quoque altera lex iſthaec. Nam cum Mens triſtes ſecum ipſa agitat cogitationes, aut ſollicitis curis anxia eſt: haec ipſius aegritudo ita foras prorumpit, ut & Corpus triſtitia contabeſcat. His adde, quod ſingulas Mentis affectiones certae quaedam extraordinariae corporis agitationes comitantur. Hinc ſi Mens ad iram concitatur, extemplo fervens bile tumere jecur, oculi ardere, facies rubeſcere, vultus geſtuſque omnino mutari. Sin amore flagrat, *eſt mollis flamma medullas*, ut ille ait. Si vero metu corripitur, cordis genuumque tremor, dentium crepitus, pallor luteus ſtatim conſequitur. Ad ſummam ſingulae Mentis paſſiones ſuas habent corporis motiones, quibus veluti certis indiciis forinſecus manifeſtantur. Quae quidem corporis commotiones ipſa Mente invita eveniunt: ita ut aegre ſpem vultu ſimulet, qui premit altum corde dolorem.

Contra vero Corporis aegrotationes Mentem ipſam afficiunt. Cum morbo aliquo Corporis valetudo perturbatur, ea aegritudine Mens affi-

citur, ut quo gravior eſt morbus, & quo plura aut nobiliora corporis membra vitio laborant, eo magis intelligendi vis quodam torpore corripiatur, ac fere concidat.

III. Huic affinis eſt tertia lex, quae Corporis incommoda in Mentem derivat, & viciſſim Mentis laboribus Corporis vires defatigat. Id quoque conſtanter obtinet. Corporis enim temperationi Mens accommodatur, & perinde intelligendi facultate utitur, atque expedita, aut tarda eſt illius ſtructura. Adeo ſane, *ut magni referre* dicat Tullius (a) *quali in corpore locati ſint animi. Multa enim*, ipſe ſubdit, *e corpore exſiſtunt, quae acuant Mentem: multa, quae obtundant*. Hinc Medicorum facile princeps Hippocrates: *Inter omnia, quae ſunt in corpore, nihil magis ad* φρόνησιν intelligentiam *conferre duco, quam ſanguinem. Hic enim ſi conſtanti habitu permaneat, conſiſtit etiam intelligentia; perturbato autem ſanguine, concidit etiam intelligentia* (b). Cujuſmodi phaenomena in pueris praeſertim, ſenibus, phreneticis &c. obſervari ſupra jam innuimus in *De Mentis Immortalitate*.

Hujus autem rei cauſſam rimari non admodum difficile eſſe videtur; ſi primam quam recenſuimus legem attendamus. Confuſae enim atque imperfectae ſunt ſenſationes, quas imperfecta aut uſu imminuta ſenſuum organa transmittunt: itaque hinc proficiſcitur, quod confuſas atque obſcuras rerum ideas ſibi Mens comparet; quippe quae

(a) *Tuſcul. Lib. I. cap. XXXIII.*

(b) *Lib. de Flat. num.* 11. *Edit. Ven.* 1588.

quae e Senſationibus Reflexionis opera efformantur.

Rurſus Corpus ſua patitur incommoda, quorum cauſſa non videtur niſi a Mente repetenda. Plerumque enim cum acrem cogitationum ſuarum aciem aliquo Mens intendit, atque in ea re perſpicienda aliquamdiu verſatur; ita cerebrum totumque caput incaleſcit, ut contemplationem proſequi nequeat. Praeterea continuata ſeverioribus praeſertim ſtudiis intentione corpus ſenſim atteritur, ejuſque valetudo debilitatur. Atque ut *pallidus omnis e coena ſurgit dubia*, (*a*) ita qui annos dant ſtudiis ſolent *nocturnis impalleſcere chartis* (*b*).

IV. Determinatam quamlibet motionem in ſenſuum organis excitam conſtanter conſequitur eadem Mentis ſenſatio. Quod quidem unicuique experiri licet. Atque id adeo conſtat, ut nonnunquam licet membrum aliquod amputatum fuerit, illud tamen dolere Menti videatur: propterea quod nervi illuc pertingentus ex rerum externarum appulſu eumdem motum concipiunt, ac ſi membrum illud non deeſſet.

V. Quas natura ipſa ſenſationes cum externorum ſenſuum motionibus ſociavit, eas disjungere Mens nequit. Nimirum unuſquiſque ſibi conſcius eſt penes Mentem non eſſe, ut frigoris ſenſus non excitetur, ſi ſub Jove frigido maneat: aut ſine doloris ſenſu corpori vulnus infligatur.

M 2 §. III.

(a) *Horat. Lib. II. Satyr. II. 76.*
(b) *Perſ. Sat. V. 62.*

§. III.

De Senſationibus.

SEnſus, quae potiſſima eſt Mentis proprietas, duas veluti partes ſeparavimus; prout duos, quos reſpicit terminos, diſtinguimus: intimum, quo ſeipſam, ſuaſque interiores tum actiones, tum paſſiones ſentit; extimum vero, quo & corpus, cui copulatur, & rerum externarum ad ſenſuum organa appulſus perſentiſcit, earumque cognitionem aſſequitur. Illius occluſa ſemina explicare ſuperius ſategimus: de hoc modo dicendum ſupereſt.

Exterioris porro Senſus quilibet actus, qui αἴσθημα ſive *Senſatio* Philoſophis dicitur, duo complectitur & Mentis attentionem, & motum in corpore excitum. Ut igitur Senſationis natura explicetur, duo exponenda eſſe videntur, tum quid Mens agat, aut patiatur, tum quid in corpore fiat, cum quaevis in nobis exoritur Senſatio.

Jam porro quod I. ad Mentem attinet, id duntaxat nobis certum eſt, eam non ſolum, niſi attendat, nihil prorſus ſentire; verum etiam concitari atque affici juxta ac ſi una cum corpore pateretur. Num autem reapſe patiatur, & cujusmodi ſit iſthaec perpeſſio, ſi quam illa ſubeat, ne divinari quidem licet. Senſus enim ſive interior conſcientia nihil nos docet: & quae ratio Senſus teſtimonio deſtituta comminiſcitur, incerta ſunt atque opinionibus tenentur.

Veteres quidem Platonici, & potiſſimum ju-

niores, ut qui Animum αἰθερίῳ, καὶ αὐγοειδεῖ, *aethereo* & *luciformi* corpore veſtiri autumabant, quod veluti illius ὄχημα *vehiculum* erat, hoc ſane corpore tanquam quodam glutine Mentem cum mortali ac terreno corpore connecti docebant. Cum autem huic vitam & ſenſum adſcriberent; colligere licet illud ipſis Senſationum inſtrumentum fuiſſe: praeſertim cum Proclus (*a*) hujuſmodi vehiculum πάσας ἔχειν ἡνωμένας τὰς αἰσθήσεις, *omnes ſenſus in ſemetipſo conjunctos habere* dicat.

Joannes Clericus, qui eamdem Platonicorum opinionem amplecti videtur, *Principium* illud, quod *medium* Mentem inter & Corpus ea conjungit, hujuſmodi eſſe docet, ut per ſenſationes, quas in Mente producit, ea quae in corpore contingunt ipſam moneat: atque ad Mentis imperium corpus agitet, quamvis actionum fines ignoret [*b*].

Porro media iſthaec ſubſtantia a pleriſque repudiatur, ut quae cujuſvis naturae eſſe ſtatuatur, Mentis cum corpore conjunctionem, qualem ipſi fingunt, nunquam efficiat. Atque hi quidem alii Senſationes duntaxat eſſe παθῶν γνώσεις *cognitiones perpeſſionum* corporis arbitrantur; quam quorumdam Platonicorum opinionem fuiſſe tradit Cudworthus [*c*].

Alii vero, inter quos modo laudatus Vir prae-

(a) *Comment. in Timaeum p.* 164.

[b] *Biblioth. Choiſ. T. II. p.* 116. *Edit. Amſtelaed.*

[c] *De aetern. Juſti & Honeſti notion. Lib.* III. *cap.* I. §. 5.

clariſſimus, Senſum eſſe ipſius Mentis perpeſſionem aliquam exiſtimant. Nimirum Senſationes, ita rem definit Cudworthus [a], ſunt certae Mentis affectiones aut perpeſſiones cum nonnullis in corpore motibus neceſſario conjunctae, per quas Mens aliquid praeter illas motiones, quae nervos & cerebrum pellunt, animadvertit & percipit.

Tribus potiſſimum de cauſſis Mentis etiam perpeſſionem complecti Senſus videtur Cudwortho. 1. Quod Senſatio non ab ipſa Mente elicitur, ſed extrinſecus illi veluti obtruditur. Non enim ea vi Mens praedita eſt, ut niſi hoc aut illo modo afficiatur, ipſa ſibi fingere valeat quae ſenſationibus deprehendit.

2. Mens prohibere nequit, quin tales in ſemetipſa cogitationes excitentur, quales poſcunt motus illi, quibus agitatur corpus, cui ipſa ſociatur.

3. Cogitationes illae, quas Senſus excitat, valde ab iis diſcrepant, quas ipſa Mens inſita virtute ſua producit.

Quod ſi conjecturis dandus ſit locus, in Senſationibus perpeti Mentem dixerim ab ipſa conſcientia ac repraeſentatione motus, qui in corpore obtinet. Mens enim corporis motum ſentit propterea, quod motui attendit. Hujus autem attentionis conſcia Mens conſcientia ipſa patitur, quod attendit. Praeterea Mens quidquid attendit in corpore, ipſa ſibi vivide repraeſentat; atque hanc repraeſentationem ipſa in ſe ſentiens, jucun-

[a] *Loc. cit.* §. 5.

cunda vel moleſta ſenſatione movetur. Idque ex eo perſpicuum fieri poteſt, quod dolorem & aliquando etiam voluptatem, quae alii ſubeunt, nos ipſi veluti ſentimus, ſi imaginationis ope ea nobis repraeſentamus.

Praeterire piaculum duxerim ſingularem D. Auguſtini ſententiam, cujus ingenium in Theologicis aeque ac Metaphyſicis merito admiramur. Cenſet enim Senſationes non eſſe communes Mentis corporiſque perpeſſiones, ſed potius Mentis actiones in corporis motus. Ipſi quidem *intentione* Mentis *facientis* corpus ab illa animari videtur. Nimirum Mens in corpus intenta in id incumbit, ut motus omnes corporis regat, quae illi ſunt apta adſciſcat, contraria vero propulſet. Ex qua ſane Mentis in eorpus attentione proficiſcitur, quod cum extrinſecus quidpiam ad corpus appellit, ſi tale ſit, ut operis, quod Mens exſequitur, veluti vias praepediat, h.e. motibus, quos illa in corpore peragit, adverſetur: Mens attentior fit ex difficultate, quae ipſius actioni objicitur. Quare dolorem aut laborem ſentire dicitur, ut cui haec difficultas minime latet. Sin autem corpori congruat, illius ſcilicet temperationi conſentaneum ſit, id Mens facile in rem propriam convertit, & corpori adjungit; atque ipſius in corpus actio facilior evadit. Heic attentius etiam, ſed cum voluptate Mens agit; quoniam quod extrinſecus advenit ipſius actionem non perturbat. Quod ſi Menti deſint ea, quibus inſtauret aliquod corporis detrimentum: rurſus actionis difficultas ſuboritur; hinc famis, ſitis &c. ſenſus; eſt enim Mentis actio ſibi non ignota.

Demum cum Mens attente agit, ne Corpus perturbationem ſubeat ; ſi morbo corpus tentetur, opem huic ferre appetet : atque ita morbos & aegrotationes ſentiet.

Eadem eſt Mentis actio, cum ſenſuum organa externae res percellunt, tunc enim attentiorem intendit actionem, quae unicuique ſenſus inſtrumento accommodetur. Mens enim eo pacto ſenſuum organa agit, ut ibi praeſto ſit ad paſſiones corporis attente agendas, atque ut corpori conſentanea adjungat, & noxia repellat. Cum igitur Mens, quae corpus movet, ubi extrinſecus aliquid ad corpus appellit, illud aliter moveat : propterea dum ipſa ſentit, agere potius, quam pati videtur. Auguſtini verba licet longiuſcula quin ad imam paginae oram adnecterem mihi temperare non potui ; Ipſum enim differentem audire juvat (*a*).

Quae

[a] Ego ab anima hoc corpus animari non puto, niſi intentione facientis. Nec ab iſto illam quidquam pati arbitror, ſed facere de illo & in illo tanquam ſubjecto divinitus dominationi ſuae: aliquando tamen cum facilitate, aliquando cum difficultate operari .... Corporalia ergo quaecunque huic corpori ingeruntur aut objiciuntur extrinſecus, non in animo ſed in ipſo corpore aliquid faciunt, quod operi ejus aut adverſetur aut congruat. Ideoque cum renititur adverſanti, & materiam ſibi ſubjectam in operis ſui vias difficulter impingit, fit adtentior ex difficultate in actionem : quae difficultas propter attentionem

cum

Quae cum ita ſe habeat Auguſtini ſententia, miror quomodo nonnullis intermediae Platonicorum ſubſtantiae ille faviſſe videatur, Praeſertim cum

cum

---

cum eam non latet, ſentire dicitur, & hoc vocatur labor & dolor. Cum autem congruit quod infertur aut adjacet, facile totum id, vel ex eo quantum opus eſt, in ſui operis itinera traducit. Et iſta ejus actio, qua ſuum corpus convenienti extrinſecus corpori adjungit, quoniam propter quiddam adventitium attentius agitur, non latet: ſed propter convenientiam cum voluptate ſentitur. At cum deſunt ea, quibus corporis detrimentum reficiat, egeſtas conſequitur: & hac actionis difficultate cum ſit attentior, & talis ejus operatio non eam latet, fames, aut ſitis, aut tale aliquid appellatur . . . . Morbidam quoque perturbationem corporis attente agit, ſuccurrere appetens labenti atque diffluenti: & hac attentione morbos & aegrotationes ſentit. Et ne longum faciam, videtur mihi anima cum ſentit in corpore, non ab illo aliquid pati, ſed in ejus paſſionibus attentius agere: & has actiones ſive faciles propter convenientiam, ſive difficiles propter inconvenientiam, non eam latere: & hoc totum eſt quod ſentire dicitur. Sed iſte ſenſus, qui etiam dum nihil ſentimus, ineſt tamen, inſtrumentum eſt corporis, quod ea temperatione agitur ab anima, ut in eo ſit ad paſſiones corporis cum attentione agendas paratior, ſimilia ſimilibus ut adjungat, repellatque quod noxium eſt . . . . Cum adhibentur ea, quae nonnulla, ut

cum alibi [a] hujuſmodi ſubſtantiam apertiſſimis verbis explodat. Cum enim oſtenderet corporis paſſiones Mentem ſentire, ait; *non enim nuntio aliquo credibile eſt fieri non ſentiente quod nuntiat*. Cujuſmodi eſt *Principium* illud *medium*, quod ex Platonicorum ſententia a Clerico proponi ſuperius advertimus.

II. Quae vero in corpore locum habent, cum externarum rerum ictus collocati in ipſo ſenſus excipiunt: ea quidem intelliguntur, ſi tota illius fabricatio, omneſque partes ſingillatim perſpiciantur. Sed quod haec omnia pro rei dignitate proſequi nec vacat nec Metaphyſici intereſt, humani corporis figura leviter adumbrata, quae Senſationum ſunt propria perſtringemus.

Perennis ille & continuatus motus, unde humani corporis vita oritur, vel eſt in Sanguine, vel in Nervis. Ab his igitur pendet tum vita, tum quodcunque in corpore fit. Sanguinis motus a corde proficiſcitur: eapropter fons & origo vitae illud nuncupatur.

Cor

---

ut ita dicam, alteritate corpus afficiunt, exſerit attentiores actiones, ſuis quibuſque locis atque inſtrumentis accommodatas: tunc videre, vel audire, vel olfacere, vel guſtare, vel tangendo ſentire dicitur: quibus actionibus congrua libenter aſſociat, & moleſte obſiſtit incongruis. Has operationes paſſionibus corporis puto animam exhibere cum ſentit, non eaſdem paſſiones recipere. *De Muſica Lib. VI. Cap. V.*

[a] *De Immortal. Anim. cap. XVI.*

Cor eſt praecipuus muſculus in medio pectoris ſitus, interque pulmones jacens in ſpeciem coni, cujus duo latera plana ſunt, cuſpis vero rotunda, & baſis ovata. Duo porro complectitur cava receptacula, quos Cordis *ventriculos* appellant; per intermedium *ſeptum* inter ſe diſtinctos, quorum dexter ſive anterior latior eſt quamvis brevior; ſiniſter vero ſive poſterior eſt anguſtior, ſed longior. Utrique porro Cordis ventriculo adjacent quaedam quaſi appendices *Auriculae* appellatae; quae ad eum uſum deſtinatae ſunt, ut illuc non patente ventriculo ſanguis divertatur. Inde autem quatuor magna vaſa, duae ſcilicet Arteriae, totidemque Venae originem ducunt: quae in omne corpus ductae in ſingulis illius partibus in ramos protenduntur.

Arteriarum altera *Aorta* appellatur, quae e ſiniſtro cordis ventriculo egreditur: altera *Pulmonaria*, quae e dextro ventriculo egreſſa per pulmones diſſeminatur. Venarum vero quae dextro Cordis ventriculo inſeritur *Cava*, quae vero in ſiniſtrum hiat, *Pulmonaria* appellatur.

Ea autem Cordis eſt ſtructura, ut alternis ſe adſtringat & relaxet, quam *Syſtolen* & *Diaſtolen* cordis nuncupare amant Phyſiologi. Hinc Arteriarum partes ſunt, ut ſanguinem ex interno Cordis fonte hauſtum Aorta in ſingulas corporis partes, Pulmonaria vero in pulmones diffundat. At Venae ad eum uſum factae ſunt, ut Venae cavae truncus ſuperior e ſupernis, inferior vero ab infernis corporis partibus acceptum ſanguinem ad dextrum Cordis ventriculum tranſvehat: & Pulmonaria ſanguine, qui e ramulis Arteriae ejuſdem

dem nominis profunditur, ſiniſtrum ventriculum imbuat.

Haec igitur eſt ſanguinis per univerſum corpus circuitio. Uterque venae cavae truncus ſuperfluum ſanguinem, cui recens chylus admixtus eſt, in dexteram cordis auriculam, atque in anteriorem ventriculum vehit. Inde vero ex cordis ſyſtole ſanguis expellitur, & per arteriam pulmonariam in ſingulas pulmonum partes diffunditur: atque inibi reſpirationis ope praeparatus, & vitali aëris ſpiritu gravidatus per venam pulmonariam in ſiniſtram auriculam, atque inde in poſteriorem ventriculum reducitur; unde tandem rurſus in aortam pulſus ad ſingulas corporis partes nutriendas diſtribuitur.

Jam vero Corpus univerſum conflatur e Muſculis, Nervis, Fibris, Vaſculis ſanguiferis ac lymphaticis, Membranis, Ligamentis, a quibus artus continentur, & quorum implicatio toto corpore pertinet; ac tandem Oſſibus, quae mirabiles commiſſuras habent, & ad ſtabilitatem aptas, & ad artus finiendos accommodatas, & ad motum & ad omnem corporis actionem.

At Nervi omnes ab interna Capitis ſubſtantia originem repetunt, quod Cerebrum Cerebellumque dicitur, atque a Medulla oblongata & Spinali. Sunt autem Nervi partes albicantes, teretes inſtar filorum, oblongae, abſque manifeſto cavo, quae ab interno capite egreſſae in omnes corporis partes pertinentes ad ſenſum, motum, & nutritionem deſtinantur.

Is autem eſt omnium Nervorum ortus atque exordium. Cranii cavum ſubſtantia quadam molli to-

totum perfecte repletur, quae in globum anteriorem, atque in poſteriorem dividitur: ille major proprio vocabulo *Cerebrum* appellatur: hic minor *Cerebellum* dicitur. His autem anterius a Cerebro, poſterius a Cerebello exoriens adnectitur *Medulla* quaedam *oblongata*, quae dum e cranio prodit, & vertebrarum Spinam ingreditur, *Spinalis* nomen aſſumit.

Inde Nervi originem ſuam arceſſunt. Duodeviginti enim Nervi, ſeu novem eorumdem paria e Medulla oblongata proficiſcuntur: quos vulgo duobus hisce verſiculis comprehenſos exhibent Phyſiologi,

Olfaciens, Cernens, Oculosque movens, Patiensque,
Guſtans, Abducens, Audiensque, Vagansque, Loquensque.

Nimirum 1. duo *olfactorii*, dicti etiam *proceſſus mammillares*, qui inferius ex cerebri eminentiis, ſive *corporibus ſtriatis* profecti primum exiles, tum ad *os cribroſum* accedentes craſſiores ac molliores ad naſum pertinent, & in membranam narium cavernulas obducentem filatim diſtrahuntur.

2. Duo *optici*, qui originem ex *thalamis* ſic dictis *nervorum opticorum* originem ducunt, ac ſupra *ſellam* oſſis *ſphaenoidis* aliquantulum ſecum adhaerent, tum disjuncti ad utrumque oculum tendunt, illorumque globo inſeruntur.

3. Duo *oculorum motorii*, qui e baſi medullae oblongatae exorti, ac in ſex ramos diviſi ad oculos deferuntur.

4. Duo *pathetici* e ſuperiori parte medullae oblongatae prope cerebellum educti muſculo oculi *trochleari* inſeruntur.

5. Duo

5. Duo *guſtatorii*, inſignis magnitudinis, qui utrinque ex lateribus *protuberantiae* ut ajunt *annularis* abſcedunt, & in tres ramos ſecernuntur; quorum *ophthalmicus* ad palpebras, frontis naſique muſculos pertinet: *maxillaris ſuperior* per omnes maxillae ſuperioris partes diſtribuitur: *maxillaris inferior* per inferiorem maxillam & linguam diffunditur.

6. Duo *abducentes*, quos etiam *motores externos* appellant, exiles, ſed paullo craſſiores nervis quartae conjugationis; pro maxima ferme parte ad muſculum oculi abducentem attinent.

7. Duo *acuſtici*, quorum uterque in duplicem chordam diſtinguitur: earum altera gracilis, firma, & anterior *portio dura*, altera minus denſa ac poſterior *portio mollis* vocatur. Haec aurium labyrinthum adit, & per varia illius foramina ſeſe inſinuans auditus organo inſervit; eique propterea nervi acuſtici nomen eſt peculiare. Illa vero per *Falloppii aquaeductum* tranſiens cum ramo quintae conjugationis connectitur.

8. Duo *vagi* per ſinus laterales durae meningis ramos diſtribuunt laryngi, pharyngi, linguae &c.

9. Duo *linguales*, ſive *hypogloſſi externi*, ſive *linguae motores* a medullae baſi exorti potiſſimum ad linguam abeunt, & cum maxillari connectuntur.

Medulla autem Spinalis extra cranium egreſſa duo & triginta nervorum paria emittit, qui inde profecti in omne corpus ducuntur. Eos ſingillatim recenſere longum omnino eſſet, atque inſtituti noſtri rationi adverſaretur.

Jam vero praecipuum Nervorum uſum eſſe, ut

Sen-

Senſationum inſtrumenta ſint, confeſſa res eſt & manifeſta. Verum in eo Phyſiologi vehementer diſſentiunt, num Nervi tenſione ſua ſenſationi excitandae inſerviant, cum nimirum inſtar chordarum muſicarum tremores efficiunt: an vero liquidum aliquod per eoſdem fluens ſit cauſſa ſenſus. Hujusmodi autem fluidum, quod *Succi nervei*, & *Spirituum animalium* nomine nuncupatur, humor eſt a tenacioribus ſanguinis partibus quammaxime defaecatus, & ſupra quam fingi poteſt tenuiſſimus. Cujus autem ille naturae ſit neque inter ſe conveniunt. Nonnulli enim ſulphuream naturam ſucco nerveo adſcribunt (*a*): at plerique & potiſſimum recentiores fere univerſi (*b*) hujuſmodi ſuccum electricam eſſe materiam ſtatuunt; ducti ex eo praecipue, quod electricismi phaenomena, cujus experimenta in machinis ſummo hodie artificio elaboratis facillime inſtituuntur, nervei ſucci effectibus valde ſint affinia.

Quod vero ſenſus ciendi facultas potius e nervorum ſucco, quam oſcillatione repetenda ſit, plura ſuadent. Nam 1. Nervi ubique corporis laxi, penduli, curvi, obliqui, & flexuoſi ſunt. Atqui oſcillatio in molli & flaccido nervo fieri nequit: ac vehementer imminuitur, aut prorſus ex-

(a) *Apud Verheyen in Supplem. Anatom. Tract. I. Cap. XXXIII.*

(b) *Id primum praeclariſſimo Newtono ſuboluiſſe videtur in* Quaeſtionibus Opticis; *at deinde ſtrenuiſſimi Philoſophi Boiſſer, Sauvages, Linneus, aliique fluidi nervei electricam naturam & probarunt & illuſtrarunt.*

extinguitur in nervis licet tenſis, at curvis & tortuoſis. Quippe chorda etiamſi maxime elaſtica neque tremet, neque oſcillabit muſice, ſi vel flexa fuerit, vel utroque extremo non firma adhaereat. Non igitur vibratione actionem ſuam exercent Nervi.

2. Si Nervos comprimas aut conſtringas, licet integri ſint, ſenſui excitando apti non ſunt infra eam partem, in qua ligati praepediuntur: at ſuperſtes eſt ciendi ſenſus facultas in Nervis ab ea parte uſque ad cerebrum. Hujuſmodi autem experimentum non Nervi tremore, ſed motu liquidi ſenſationem peragi aperte docet. Quippe chorda vinculis conſtricta falſum quidem, at aliquem ſonum edit. Ergo.

3. Ingens ſanguinis copia, qua cerebrum abundat, ad ipſius nutritionem duntaxat deſtinata omnino ſuperflueret. At eam ſanguinis vim nimis apte in cerebrum deferri intelliges, ſi inde certi cujuſdam humoris *ſecretionem* fieri ſtatuis. Is autem humor niſi per nervos devehi nequit, ut qui veluti *ductus excretorii* ex cerebri medulla proficiſcuntur.

4. Nervi creſcunt, protrahuntur, nutriuntur perinde, atque corpus adoleſcit. Atqui id obtinere nequit, niſi ſuccus, unde aluntur, per eos fluat. Ergo.

Neque aliquid officit, tum quod in Nervis nullum aſpici cavum poſſit, tum quod humoris hujus, qui per eoſdem fluit, nec praeſentiam nec motum oculis aſſequi liceat. Multa enim reapſe exſiſtunt, quae ab oculorum acie ſeſe proripiunt, atque artem omnem eludunt. Ita, ut pauca at-

tin-

tingam, in pediculis ceraſorum, aliorumque fructuum quamvis fibrae abſque ullo cavo conſpiciantur: in explorato tamen eſt eas perforatas eſſe, ut quae devehendo ſucco ad fructuum nutritionem deſtinantur. Ubi & illud advertendum, quod hujuſmodi fluidum longe craſſius ſucco nerveo ſtatuatur.

Si ſanguis in vaſe e ſecta vena exceptus loco tepente aſſervetur, ſenſim minui, ac tandem totum avolare deprehendes. Atqui vel microſcopio adhibito nullam ſanguinis particulam exhalantem aſpicies.

Lewenoheckius (a) in aqua pluvia, quae recens deciderat, nihil videbat: at aliquot poſt diebus cum turbida fieri coeperat, innumera inſecta ope microſcopii deprehendit. Inter ea unum erat, quod perpetuo ſe rotans ova plurima deponebat, e quibus paullo poſt animalia matris ſimilia prodibant. Motus quidem ſine muſculis fieri nequeunt, neque muſculi nervis deſtitui poſſunt. Horum autem muſculorum ac nervorum tanta eſt tenuitas, ut oculorum aciem fugiat, licet elaboratiſſimo inſtrumento muniantur.

His expoſitis jam illud explicandum ſupereſt, quidnam corpori noſtro contingat, cum ſentimus. Res nimirum ſenſibiles, quae nos extrinſecus circumdant, cum ad ſenſuum organa appellunt, mutationem in nervum inducunt, quae libero nervo ad aliquem in cerebro locum propagatur, unde nimirum ille proficiſcitur. Haec autem mutatio non eſt niſi motus nervo impreſſus, unde fit, ut

(a) *Epiſt. Phyſiol. VII.*

ſuccus ipſe eumdem motum concipiat, atque ad cerebri partem aliquam illum diffundat. Eſt igitur haec mutatio fluidi nervei impulſio contra ſuam originem.

Notum eſt Cl. Boërhavii experimentum. Is enim ut propriis cerneret oculis, quid nervoſae papillae per corpus diffuſae patiantur, cum corpus aliquod eas extrinſecus afficit: corpus dulce ad linguam admovebat, moxque removebat; ac ſpeculo adhibito linguae papillas ad guſtatus ſenſationem deſtinatas erigi, cum iis corpus dulce applicaretur; relaxari vero ac veluti in ſeipſas contrahi, ſubmoto corpore conſpiciebat.

Quamobrem ut Mens ſentiat, haec duo ſimul concurrant neceſſum eſt, tum ut fluidum nerveum ob rerum externarum appulſum motum concipiat: tum vero ut hujuſmodi motus ad cerebrum uſque deferatur. Adeo quidem, ut ſi alterum horum deſit, nulla in nobis oriri poſſit ſenſatio.

Et revera quod ad primum attinet: cuique nervo ſuum organum callidiſſimo artificio fabricatum veluti ſenſationum introitum natura praepoſuit. Atqui nulla erit ſenſatio, ſi qua vi morbi ita praepediatur, ut prohibeat, quominus nervo talis communicetur motus, qualis ciendo ſenſui aptus eſt.

Quod vero ad alterum ſpectat, 1. plurima experimenta docent, quod quaecunque Succo nerveo ad cerebrum iter intercipiunt, eadem nervum excitandi ſenſus poteſtate deſtituunt. Hinc ſi nervus praecidatur, ligetur, comprimatur, &c. ad ſenſum excitandum ineptus evadit. 2. Compreſſo, diſciſſo, putrefacto cerebro, licet nervi va-

valentes ſint, ſtatim ſenſus omnis extinguitur. Communicatio enim nervum inter & cerebrum intercidit; quippe prohibet morbus, quo laborat, quin ſuum motum cum illo nervi participent. In hanc rem plurima experimenta collegit Haller in notis ad Boerhavii Inſtitut. rei Medicae (*a*). Quae omnia argumento ſunt, nervos non eſſe *τοπικῶς* (*localiter*) Senſus inſtrumenta, ut quibuſdam videtur, h. e. ibi ſenſum excitari, ubi nervo motus imprimitur: ſed hac facultate eos ornari, cum liberum ad cerebrum aditum habent.

Quaeret heic fortaſſe quiſpiam, quemadmodum fiat, ut ubi externae res ad ſenſuum organa appellunt, continuo Mens ſentiat; cum motus nervo impreſſus ad cerebrum uſque *Succi nervei* opera deferendus ſit: in quo ſane aliquid vel exiguum temporis ſpatium inſumendum eſſe videtur. Verum nemo unus mirabitur, quod tanta celeritate fluidi nervei motus ad cerebrum ducatur, ut nulla, quae diſtingui poſſit, mora interponatur: ſi ad lucis & ſoni propagationem oculos convertat. Licet enim nec lux, nec ſonus uno temporis veſtigio diffundi poſſit: quis tamen, quaeſo, vel minimum temporis intervallum effluere deprehendit, cum lumine accenſo ſtatim longus viae tractus omnis lucet: aut cum percuſſo corpore ſonoro, quod non longe diſtat, ſonum auribus excipit?

Ceterum cum nervi ſucco exacte repleantur; fit hinc, ut ſi ipſorum extremitatem unam impuleris, eodem fere horae momento ad alteram

(a) *T. II. §. 284. not. 3.*

impulſio feratur. Experimenta id ſuadent. Siphonem aqua quammaxime imple: ut primum emtolum urſeris, ſtatim effluet aqua. Globuli eburnei, quorum alii alios innumeros contingant, in aliquo canali longo conſtituantur: impellatur primus; eodem fere momento, quo impulſio proximo communicatur, ultimus quieſcentibus mediis a penultimo ſecedet.

At enim objiciet aliquis, nonnullos hiſtoriam referre homines, qui licet cerebro deſtituerentur, vitam tamen agebant, nec ſentiendi facultatis expertes erant. Non igitur nervorum cum cerebro communitas ſenſui excitando neceſſaria videtur.

Reſpondeo eos, qui memoriae prodiderunt repertos eſſe, qui cerebro carerent, conſtanter obſervare id in foetu viſum fuiſſe. Quod non obſcure innuit cerebri jacturam tum demum maximo non eſſe detrimento, cum fere nulli ſenſus, ceteraeve functiones habentur, & ſanguis primus motuum auctor inquilinus non eſt, ſed a matre in foetum derivatur. Praeterea in nonnullis (ut qui haec eadem perhibent aperte teſtantur) cerebri vices obtinebat ſpinalis medulla, quae ad cor, pulmones, &c. nervos emittebat. Ceterum legatur laudatus Haller, qui ejuſmodi monumenta ſtudioſiſſime conquiſita erudite illuſtrat (a).

§. IV.

(a) *Boerh. Inſtitut. Medic. T. II. §. 284. not. I.*

§. IV.

De Mentis in Corpore Sede.

Licet humana Mens cum toto corpore ſocietatem habeat, ita quidem ut toti corpori conjuncta eſſe vere dicatur: aliqua tamen ceterarum digniſſima pars corporis eſt, quam propriam veluti ſedem ſui domicilii incolit: unde quibuſdam quaſi viis ad extima ſenſuum organa perforatis ſenſationes excipit, & illius functiones moderatur. Mentis igitur *Sedem* appellant Philoſophi eam humani corporis partem, ad quam ſucci nervei motus omnes referuntur: atque inde idem ad ceteras omnes corporis partes commeat, ut varios ibi motus peragat. Cum enim ſenſus vinculis Mens corpori adhaereat: jure quodam ſuo Mentis Sedis nomen ſibi vindicat pars illa corporis, e cujus mutatione pendet, ut illa ſentiat, atque ad illius nutum ceterae partes motum concipiant.

Jam vero ex iis, quae antea delibavimus, illud perſpicuum eſt, hujuſmodi ſedem in cerebri regione verſari. Nam 1. nervi omnes, qui praecipua organa ſunt ſenſationum, ac motuum omnium muſcularium, e cerebri ſubſtantia proficiſcuntur. 2. Diſciſſa nervorum cum cerebro communione ſenſus ac motus omnis intercidunt. 3. Cerebro laborante ſenſus ac motus aegreſcunt. 4. Tandem in ſtudiis ſeveris, & aliquamdiu protractis ſinciput dolore afficitur. Nullus ergo du-

bitandi locus eſſe videtur, quin ſedem ſuam in cerebro Mens collocaverit.

Verum quae potiſſimum pars cerebri ſit, unde nervi omnes ducunt exordium, & quae propterea terminus ſit motuum omnium fluidi nervei, non liquet, ac ſumma diſſenſio eſt inter Phyſiologos. Nimirum conſtitit inter omnes oportere, ut unica & ſingularis pars quaedam ſit, in quam ultimam coëat ſucci nervei motus. Cum enim omnium ſenſuum organa gemina ſint, Mentis ſenſationem geminarent res externae, quae duo ejusdem ſenſus organa pepulerint; niſi binae impulſiones aliquo commearent, ubi colligerentur.

Verum hoc *commune Senſorium*, quo nomine pars haec nuncupari conſuevit, alii aliud eſſe ſtatuerunt. Vetus eſt Carteſii opinio, quae jam obſolevit, ultimum ſpirituum animalium fontem eſſe *Glandulam* quamdam in cerebro, cui figura *Pinealis*, & *Conarii* nomen impoſuit, quae a thalamis nervorum opticorum ſuſpenſa quarto imminet cerebri ventriculo. Verum quis a glandula valde exili (quippe vix aequat mediocris piſi granum) quadraginta nervorum paria oriri crederet? Quis in ea originem & finem ſyſtematis nervorum eſſe ſibi perſuaderet, quae perſaepe corrupta, putrefacta, ſcirrhomate laborans, e loco ſuo exturbata nulli eſt ſenſationibus detrimento?

Sunt qui in *corpore calloſo*, qui vero in *corporibus ſtriatis*, & qui tandem in *medulla* cerebri commune Senſorium conſtituunt. In hanc rem legi poſſunt, quae profert Haller, (*a*) qui medul-

(a) *Boërh. Inſtit. Med. Tom. II.* §. 284. *n.* 3.

dullae ſedem animi attribuere videtur. Plures enim obſervationes exhibet, quae ſenſationum uſum perinde perturbari docent, atque iſthaec medulla morbo aliquo afficitur.

Non deſunt qui cerebro & cerebello diſtinctas dant provincias. Cerebrum fontem eſſe ſpirituum animalium ajunt, qui in eos influunt nervos, quorum opera ſenſationes & motus ſpontanei peraguntur. At e cerebello ſpiritum haurire nervos illos, quibus fiunt vitales ſive involuntariae motiones.

Verum in hac re nihil certi definiri poſſe reor. Ea enim eſt cerebri ſtructura, ut admirationi potius, quam exploratae cognitioni locum relinquat. Phyſiologorum diligentiſſimi, qui in rimanda humani corporis tam nobili parte totos ſe occuparunt, non pauca vel accuratas obſervationes effugere ingenue fatentur. Legatur Stenonis oratio de *Cerebri anatome* (*a*). In his igitur perſequendis amplius immorari Metaphyſici non eſt.

Id unum heic Metaphyſico explicandum eſſe mihi videtur, quamobrem fiat, ut cum Mens in cerebri parte quadam duntaxat ſenſationes omnes excipiat, nobis tamen ipſi conſcii ſimus, in ea corporis parte ſentire, quam externae res percellunt. Quippe nemo unus, cui crus frangitur, aut manui vulnus infligitur, in cerebro dolorem experitur.

Hoc ſane judicium, quo Mens ad corporis partes a rebus externis pulſas ſenſum refert, licet

(a) *Exſtat in* Expoſitione Anatomica Corp. Hum. Wislowii *Tom. V. praemiſſa*.

falſum, hominibus tamen neceſſarium eſſe arbitror. Quàmvis enim conſcientia nos docere videatur ſenſum eſſe, ubi nervo primum motus imprimitur: perverſe tamen hinc colligitur Mentem neſcio qua *virtuali* extenſione, quam comminiſcuntur Peripatetici, ſingulis corporis partibus praeſentem in iis ſentire, cum exterioribus objectis afficiuntur. Quis enim diceret ſuam ipſius Mentem, cum ope bacilli corporis alicujus duritiem, mollitudinem, fluiditatem experitur, in illius extremitate hujuſmodi qualitates ſentire? Atqui ſi conſcientiae teſtimonio ſtandum ſit, id nobis ſuaderi videtur.

Verum hujusmodi error [ſi eo nomine hanc animi perſuaſionem vocare liceat] veluti naturalis eſt, & ſapientiſſimae Dei providentiae ſubjicitur. Cum enim in corpore conſervando inſito appetitu Mens occupetur, ſi in cerebro ſentire ſibi perſuaderet; admoneri non poſſet, ut quae ſuo corpori nocent propulſaret, & quae congruunt adſciſceret. Puta ſi fixis oculis Solem intuentes, aut nullum doloris ſenſum, aut hunc in cerebro experiremur; oculis quidem conſulere negligentes eos caecari deſtructo nervo pateremur. Ita igitur nobiſcum egit ſapientiſſimus Deus, ut ibi externas res ſentire nobis videremur, ad quas nimirum corporis partes illae appulerint: licet niſi motu ad cerebrum diffuſo non ſentiamus.

CA-

CAPUT VII.

De Imaginatione & Memoria.

EAm noſtrae Menti facultatem ineſſe, ut abſentium rerum imagines, quas olim praeſentes habuit, iterum ſibi repraeſentet, intimo quiſque ſenſu comprehendit. Haec *Imaginatio* & *Phantaſia*, quippe corporeas rerum imagines & phantaſmata Mens intuetur, dici conſuevit.

Mira ſunt Imaginationis effecta tum quae Mentis voluntate cum vigilamus, tum quae ipſa invita per ſomnum produci ſolent. Plerumque enim non ſolum rerum, quas olim vidimus, imagines veluti in cerebro depictas intuemur, verum etiam undique collatis partibus novas rerum formas nobis exhibemus. Cum vero, ut ille ait, *Somnia fallaci ludunt temeraria nocte*, ea eſt Imaginationis vis, ut quae vigilantibus imaginatione aſſequi vix licet, vividis tanquam expreſſa coloribus per noctem nobis obverſentur. Etenim non modo hominum figuras, oppidorum ſitus, aliaque oculis uſurpare, ſed etiam loquentium voces audire, ciborum ſapores guſtare, odorum ſuavitatem naribus excipere, corporumque duritiem, mollitudinem &c. experiri nobis videmur.

Heic autem quaerunt Philoſophi, qua ratione externarum rerum imagines denuo Menti, ubi ipſi collibuerit, obverſentur: & variae rerum formae veluti in ſcenam productae gratum praebeant

beant Menti ſpectaculum : cum res ipſae abſentes neque externos ſenſus percellere, neque aliam in cerebrum mutationem inducere poſſint.

Plerique rem omnem aperuiſſe ſibi videntur, cum Imaginationis vim repetant a quibuſdam veſtigiis, quae in cerebri ſubſtantia imprimunt fluidi nervei motus, quos antea externae res excitarunt. Nimirum ajunt hujuſmodi ſuccum ita cerebri fibras flectere, ut flexus illius ſuperſint veſtigia: aut certos meatus peragrare, quos, ſi ſaepius permeaverit, apertos relinquat. Atque hinc fieri ajunt, ut ſi eoſdem poros ſubeat, aut per eaſdem inflexas fibras fluat, veſtigia olim impreſſa renoventur; ac Menti res, unde ea originem duxerunt, ad intuendum proponantur.

Hujuſmodi autem ſucci nervei motus, quo poſita rerum veſtigia inſtaurantur, cum vigilamus, a Mentis imperio proficiſcitur, quamvis nonnunquam ipſa inconſulta cieri ſolere experimur. Cum autem ſopor corporis irrigat artus, Menti veluti quieſcente, humor nerveus medullae cerebri partem aliquam confuse pererrat, quae, ceteris collapſis, liberum ſucco praebeat aditum. Hinc largior coena, fecundi calices, atque id genus alia, quae ſanguinem ad caput impellunt, inſomnia ferunt.

Ita ſane ferme omnes Imaginationis naturam explicant: adeo quidem, ut eam corporis propriam eſſe adſerere non dubitent: propriam corporis, inquam, non ſecus ac ſenſationes ipſae, quae licet Mentis attentionem poſtulant, a corpore tamen, motibus ſcilicet in ipſo excitis, proficiſcuntur.

Por-

Porro Imaginationem Memoriae ſedem eſſe ajunt, ſeu refertiſſimum illud promtuarium, unde Mens earum rerum ideas expromit, quae in cerebri tanquam cellulis reconditae jacent. Memoria igitur quamvis Mentis actus eſt, quo praeteritas cogitationes ita revocat, ut earum notae ideae rurſus ſibi obverſentur: adeo tamen ab Imaginatione pendet, ut ſi rerum veſtigia deleta fuerint, earum reminiſci nunquam poſſit.

Non pauca quidem experimenta eam eſſe Memoriae cum cerebro communitatem docent, ut ſi quo morbo cerebrum tentetur, immanem jacturam illa faciat. Fuerunt enim, quos ex gravi diuturnoque morbo infirmos tanta cepit oblivio, ut paternae domus, amicorum, & ſui etiam nominis non reminiſcerentur. Ipſa vero ſenectus quantum memoriae ſurripiat, norunt omnes, quibus cum ſenibus verſari datum eſt.

Jam vero haec omnia licet mire excogitata ſint, atque Imaginationis Memoriaeque phaenomenis non modicam lucem afferant: tantum tamen his tribuendum eſſe duco, quantum ſolidiſſimis conjecturis tribui ſolet. Multa enim ſunt, quae nihil habent explorati. Nam 1. quaenam erunt quaſi ſignatae rerum ſpecies in cerebro, quae ita nobis dicto audientes ſint, ut ſimul ac velimus accurrant? Quae vero poſſunt eſſe *abſtractarum*, ut ajunt, notionum veſtigia (*a*)?

2. Quid

(a) *Memoriae vim miratur quidem Tullius* Tuſc. Diſp. 1. 25. *ejuſque nullam nec in corde, nec ſanguine, nec cerebro rationem inveniri poſſe docet:* Quid

2. Quid cauſſae eſt, quare Mens rerum imagines, quarum infixa cerebro ſunt veſtigia, ſibi repraeſentari velit, niſi ea ibi haerere noverit? quippe ignoti nulla cupido. Jam igitur ea meminerat.

3. Qui fit, ut ea univerſa, quae ii praeſertim meminerunt, qui in aliquo majore ſtudio & arte verſantur, ejuſmodi poſuerint ſua in cerebro veſtigia, ut alia ab aliis non deleantur, neque aliqua confuſione perturbentur?

4. Si Memoriae ſedes ita in cerebro ſtatuatur, ut impreſſa ibi veſtigia praeteritas ideas veluti relegendas Menti offerant: nulla amplius Menti, corpore ſepoſito, ſuarum cogitationum memoria adjudicanda erit. Quem igitur cogitandi facultas (quam initae cum corpore ſocietati Mens acceptam non refert) ipſi praebuerit uſum, ſi vi ſua quae praeterierunt recordatione intueri non poſſit? Nulla quippe eruditione informaretur, immemor notionum, quas olim habuit, licet ad perenne aevum cogitaret.

5. Huc

Quid igitur? utrum capacitatem aliquam in animo putamus eſſe, quo tanquam in aliquod vas ea, quae meminimus infundantur? abſurdum id quidem; qui enim fundus, aut quae talis animi figura intelligi poteſt? aut quae tanta omnino capacitas? An imprimi quaſi ceram animum putamus, & memoriam eſſe ſignatarum rerum in mentem veſtigia? quae poſſunt verborum, quae rerum ipſarum eſſe veſtigia? quae porro tam immenſa magnitudo, quae illa tam multa poſſit effingere?

5. Huc & illud accedit, quod Mens ἄλογος (*rationis expers*) prorſus eſſet. Cum enim ideas retinere nequiret, nec judicia efformare, nec ratiocinando aliquid colligere poſſet. Quippe cum ad ultimum concluſionis perveniret; jam priorum propoſitionum oblita, num ex iis ſumtis recte concluſum ſit judicare minime poſſet.

Quamobrem illud a vero non abhorrere dixerim, quod Mens propria vi, non e corporis ſocietate, ſuarum cogitationum memoriam habeat. At inquies, unde proficiſcitur, ut Mens memoria vacillet, cum cerebrum morbo aliquo corripitur? Eadem ajo ratione, qua fit, ut Intellectui quaſi nox quaedam offundatur, ſi quod cerebrum ferat infortunium: earum nimirum vi legum, quibus Mentis corporiſque ſocietatem ſapientiſſima Dei providentia moderatur.

METAPHYSICAE PARS III.

THEOLOGIA.

HOc nimirum illud erat, quo Mentis noſtrae tum naturae, tum proprietatum tam ſedula inquiſitio, atque inveſtigatio, tanquam ad propoſitum finem contendebat. Quorſum enim pertinuit Mentis ſimplicitatem, ceterasque facultates ſumma eſſe contentione aſſecutos, ejuſque abditiſſimos receſſus penitus aperuiſſe; niſi ut ad Illius demum cognitionem, cui non originem modo, ſed & ſua omnia accepta refert, cujuſque proprietatum conſignatas notiones ſenſu intimo Mens perſentiſcit, veluti per gradus aſcenderemus?

Quamobrem ne quis non praeclare a nobis ſuſceptam eſſe operam philoſophandi arbitretur, Theologiam, quam Philoſophiae univerſae faſtigium jure dixeris, pertractandam e veſtigio aggredimur. De Deo igitur, iisque Dei attributis, quae divinitatem pone ſequuntur, quoad proſpicere poterit creatae Mentis acies, cui ſplendidiſſimum Revelationis lumen non adhuc affulget, hac poſtrema parte diſſeremus.

CAPUT I.

Confutatur Atheiſmus.

QUamvis Deum eſſe adeo omnibus perſuaſum ſit, ut haec ſententia ex animo exuri non poſſe videatur: quoniam tamen nonnullos aut morum licentia atque effrenata libido, aut inanis quaedam ingenii oſtentatio eo abripuit, ut divinitatem omnem funditus negaverint; hinc primum omnium Deum eſſe demonſtremus oportet. Qui porro infenſiſſimi divinitatis hoſtes Gigantum more bellum Deo inferre auſi ſunt, diverſas iniere vias, ſuaque ſinguli fabricati ſunt ſyſtemata, quibus Atheiſmus veluti Philoſophicum pallium indutus incederet. Hae autem doctrinae ſupremo Numini adverſa fronte oppoſitae, ad quatuor revocari poſſunt.

I. Prima eſt eorum, qui duce Democrito, atque Epicuro, res omnes, unde haec continetur univerſitas, nulla cogente natura, ſed concurſu quodam fortuito ex atomis effectas eſſe docuerunt. Neque enim divina opus eſſe ſollertia ajunt, ut Mundus compingeretur, tum ut cetera omnia in dies producantur. Tamque eam rem facilem eſſe dictitant, ut innumerabiles natura Mundos effectura ſit, efficiat, effecerit. Namque infinita vis atomorum, quae per interminatum inane volitabant, inter ſe cohaerentes, atque aliae alias apprehendentes, quemadmodum Mundum fabri-

fabricatae ſunt, ita novas gignunt rerum formas & figuras, ſi commoventur, componuntur, ac ſeparantur.

II. Ab his parum diſſentiunt, qui ad ὕλην, ϗ πάθη τῆς ὕλης, *materiam* ſcilicet, *ejuſque affectiones* omnia, quae rerum univerſitatem conſtituunt, retulerunt. Materiam nimirum unicam opinati ſunt rem eſſe, quae vere ſubſiſtat, cetera vero quae in hoc Mundo obtinent, affectiones eſſe, ſeu temperationes unius materiae: inde gigni univerſa, quae fiunt, atque illuc diſſipata ac diſſoluta reverti: materiam vero nullam ſubire mutationem, ut quae nec generata ſit, nec corrumpi poſſit, ſed ab omni aeternitate exſtiterit.

Hujuſmodi Philoſophiam, quam *Hylopathicam* cum Cudwortho appellare licet, ante ſuam aetatem apud aliquos obtinuiſſe refert Ariſtoteles, ejuſque ducem Thaletem fuiſſe immerito accuſat (*a*); potius enim Anaximandro impietatis hujus origo adſcribenda videtur. Legatur Synopſis Hiſtorica. Quiſquis tamen fuerit auctor, impia in Deum eſt, quem de medio tollit. Ut enim recte concludit Cudworthus (*b*) cum hiſce Philoſophis id ratum eſſet, praeter materiam nihil eſſe, quod non generari & corrumpi queat; tum cetera omnia, vitam etiam, ſenſum, atque intelligentiam ad materiae affectiones pertinere: perſpicuum eſt nullum eos Deum admittere, niſi qui e caeca materia ortus in eamdem aliquando reverti poſſit.

III.

(a) *Lib. I. Metaphyſ. cap. III.*

(b) *Syſt. Intell. cap. 3. III. §. 12. 13.*

III. Sequitur Hylozoitarum diſciplina, quibus id nominis impoſitum eſt, quia *vitalem* duntaxat *materiam* admittunt. Hi quidem, quorum princeps Strato Lampſacenus vulgo *Phyſicus* nuncupatus, repudiata atomorum doctrina, cuilibet materiae particulae vitalem vim adjunctam eſſe opinatur, quae gignendi facultate praedita res omnes produxerit. Vita enim iſthaec, qua materiae partes omnes cientur, ejuſmodi eſt, ut illius ope quaelibet materiae portio ſe ipſam fingere, atque in eas formas, quibus ſua natura apta eſt & idonea, vertere poſſit: quamvis omni ſenſu deſtituta ad ea, quae agit, nunquam rationem aut conſilium adhibeat. Cum igitur ſingulae materiae partes hujuſmodi fictricem vitam contineant: non modo materia Solem, Tellurem, aliaque corpora fabricata eſt, verum etiam in brutis animantibus ſenſum, atque in hominibus rationem atque intelligentiam perfecit.

Stratonica haec doctrina, quae praeter materiam vitalem nihil in hoc Univerſo eſſe profitetur, Deum prorſus eliminat. Quippe cum Strato docuerit, ut ait Lactantius (*a*), *omnia quaſi ſua ſponte eſſe generata, nullo artifice nec auctore*, ſeu *naturalibus facta eſſe ponderibus & motibus* (*b*), & cum negaverit *opera Deorum ſe uti ad fabricandum mundum* (*c*), nullum equidem Divinitati locum reliquiſſe videtur.

VI. Ultima ſupereſt in Deum impietas, atque inſania, quam Stoicae familiae alumnis a Zenonis doctrina deſciſcentibus adſcribit Cudworthus.

(a) *Lib. de Ira Dei cap. X.*
(b) *Tullius Lib. IV. Academ. c. XXXIII.*
(c) *Loc. cit.*

Haec autem diſciplina aſpectabilis Mundi compaginem corpus eſſe plantae aut arbori ſimile profitetur, quod moderatrix quaedam natura incolit, quae corpus totum artificioſe, licet mente ac ratione deſtituta, componit & ordinat. Hujuſmodi igitur vis veluti plaſtica, qualis in plantarum aut animalium ſemine deliteſcit, certa & conſtanti lege materiam fingit: adeo quidem, ut quemadmodum in ſemine futurae plantae ratio omnis comprehenditur, ita quaeque effecit, quaeque effectura deinceps erat, materia genitrice natura imbuta complecteretur. Hanc propterea philoſophandi diſciplinam *Coſmoplaſticam* Cudworthus appellat, a quo haec omnia hauſiſſe ultro fatemur.

Huc uſque recenſitae Veterum diſciplinae, quibus Deum aggreſſi ſunt, illud ſecum omnes commune habent, quod rerum univerſitatem a materia ſenſus ac rationis experte profectam eſſe ſtatuunt. Materiam igitur ab omni aeternitate extitiſſe apud omnes receptum eſt. Verum quatuor hujuſmodi diſciplinas illud diſſociat, quod materia non eadem ab omnibus ſtatuatur.

Democriti atque Anaximandri dogma eſt, brutam rudemque materiam, in qua nihil vitae ſenſuſque ineſt, rerum omnium initium eſſe. At ille ab atomis concurſu fortuito coaleſcentibus omnia repetit, vitam etiam, ſenſum, atque intelligentiam. Hic vero vitam omnem, ſenſum, atque intelligentiam materiae affectiones eſſe contendit.

Contra Stratonici, ac Pſeudo-Stoici vitam quamdam fictricem, & percipiendi facultatem natura in materia inſitam eſſe docent. Licet in eo ſecum diſcrepent, quod illi ſingulis materiae atomis

mis ratione deſtitutis vitam attribuunt : hi vero unam tantum in univerſa materia vitam eſſe arbitrantur.

Quamobrem ut impietatem omnem adverſus Deum reprimamus, quatuor iſtas veterum diſciplinas a fundamentis uſque convellemus. Ita igitur diſputationem omnem partiemur. Demonſtrabimus 1. fieri non poſſe, ut materia ab omni aeternitate exſtiterit. 2. Motum materiae eſſentialem non eſſe. 3. Etiamſi materia ab aeterno exſtitiſſe ſtatuatur, fieri tamen non poſſe, ut atomi rerum univerſitatem effecerint. 4. Vitam atque intelligentiam cum materia connexam non eſſe, neque, utcunque materia temperetur, ex ea ſenſum & intelligentiam oriri poſſe. His porro conſtitutis argumenta proferemus, quibus Dei exſiſtentia perſuadetur.

PROPOSITIO I. *Materia ab aeterno exſtitiſſe nequit.*

Demonſtratur I. Quod ab aeterno ita exſtitit, ut nullam ſui cauſſam habuerit; idem natura ſua exſiſtendi neceſſitatem complectatur oportet. Propriae enim exſiſtentiae rationem aliunde repetere non poteſt, niſi in ſe ipſum eam comprehendat: nam ſemper fuit, nec quidquam aliud ſe ipſo antiquius habet; ſuae igitur naturae neceſſitate exſiſtat oportet. Atqui nullam exſiſtendi neceſſitatem Materia comprehendit. Ergo.

Si materia neceſſario exſiſteret, Materiae notio haberi non poſſet, niſi ea reapſe exſiſtere ſimul conciperetur. Atqui perfecta nobis Materiae notio obverſatur, etiamſi exſiſtentiam ab ea ſejungamus. Quam igitur Materiae ideam habemus, illius exſiſtentiam non comprehendit. Ergo ad

materiae eſſentiam non pertinet, ut neceſſario exiſtat.

Sane quidquid exſiſtit, dum exſiſtit, non poteſt non exſiſtere. Inde vero non ſequitur id ſemper exſtitiſſe, aut nunquam eſſe interiturum; cujuſmodi eſt ens, quod neceſſarium dicimus. Hoc enim tale eſt, ut ne concipi quidem nequeat, niſi reapſe exſiſtere concipiatur. Atqui nihil vetat quominus concipiam materiam non eſſe, vel non fuiſſe, vel in poſterum non fore. Ergo.

II. Quod neceſſitate naturae exſiſtit, numeris omnibus abſolutum ac perfectiſſimum ſit oportet. Id enim naturae neceſſitate exſiſtit, quod omnem τῦ εἶναι *eſſendi* rationem complectitur. Nimirum immenſum eſſentiae pelagus, quo redundat, in cauſſa eſt, quamobrem neceſſario exſiſtat. Et ſane finge ſis ens aeternum ac neceſſarium aliqua perfectione deſtitui: jam facile eſſet intelligere aliam potentiorem cauſſam exſiſtere, unde illius perfectionum defectus oriretur. At ſimul atque ens aliquod antiquius ac potentius adeſſe fingimus, hoc prohibere potuiſſe fateamur oportet, quin illud exſiſteret. Non igitur neceſſitate naturae exſiſtit: quod eſt contra hypotheſim. Ergo perfectiſſimum eſt, quod exſiſtendi neceſſitatem complectitur.

Jam vero brutam rudemque Materiam ſubſtantiam eſſe abſolutiſſimam, quae nihil imperfecti & vitioſi admixtum habeat, ſolus amens dixerit. Eam enim ſtupidam ac rationis inanem ſtatuunt Democriti atque Anaximandri aſſeclae: & licet Stratonici ac Pſeudo-Stoici vitam aliquam Materiae inhaerentem admittant; fingendi tamen dunta-

taxat potentiam huic attribuunt, omnem vero rationem, ſenſum, & conſilium eripiunt. Qui igitur Materiae vindicant aeternitatem, ipſi eam imperfectam eſſe ultro fatentur. Ergo ſi imperfecta, neque neceſſario exſiſtit: ſi non exſiſtit naturae neceſſitate, non aeterna.

III. Aeternum eſt immutabile. Aeternitas enim componi nequit cum Succeſſione. Atqui duratio Entis, quod mutationibus ſubjicitur, momenta atque intervalla complectitur, ut quae ipſius Entis viciſſitudinibus innituntur. Nullam igitur ſubire poteſt mutationem, quod aeternum eſt. Materia autem, qualem ipſi Athei comminiſcuntur, perennes patitur viciſſitudines. Ea enim in mille ſeſe formas ex omni aeternitate vertiſſe, atque e varia ipſius temperatione univerſa facta eſſe dictitant. Materia igitur aeterna eſſe nequit.

PROPOSITIO II. *Motus non eſt Materiae eſſentialis.*

Demonſtratur I. Univerſa corpora mutuo ſibi reſiſtere obſervamus: & pluribus experimentis aperte conſtat, corpora omnia aeque motui ac quieti reſiſtere: & determinata vi opus eſſe, ut ea moveantur, aut conſiſtant. Corpora igitur omnia reſiſtendi vi praedita ſunt. Atqui haec virtus reſiſtentiae non oritur, niſi a corporum materia, quae iners eſt. Iners autem eſt materia, quia ad motum & quietem prorſus indifferens eſt, omni vi actuoſa nudata, & cuicunque proprii ſtatus mutationi reſiſtit. Motus igitur Materiae, prout Materia eſt, neceſſarius eſſe nequit.

II. Certa naturae lex eſt, corpus omne in ſtatu ſuo quietis vel motus conſtanter perſeverare: ne-

neque adhuc obſervare licuit corpus aliquod ſponte ſua ad motum proſiluiſſe, aut a motu deſtitiſſe. Quod quidem adeo conſtans eſt, ut ſi quam corpus aliquod mutationem ſubire videamus, neque cauſſam deprehendere liceat, illud naturaliter fieri non potuiſſe fateamur. Si igitur Materia ab aeterno movetur, admittant oportet Democritici, aut motum ſine ulla oriri cauſſa, quod eſt abſurdum: aut aliam praeter Materiam naturam eſſe, quae ſua efficacia inertem Materiam agitare valeat.

III. Si motus ad Materiae eſſentiam pertineret, non poſſet motus Materiae non adjunctus eſſe. Nullae igitur Materiae partes vel quieviſſent unquam, vel quieſcerent. Atqui ſi perenni motu cieretur Materia, rerum omnium initium, qualem illam ſibi fingunt Athei, eſſe non poſſet. Cum enim perpetuo motu Materiae partes omnes agitarentur, divulſae ſemper ac ſegregatae nunquam inter ſe cohaerere, nihil ſtabilitatis ſibi comparare, nullum denique corpus conflare potuiſſent. Neque igitur quidquam generari, neque haec Mundi compago effici potuiſſet. Ergo Motus non eſt Materiae eſſentialis.

IV. Ut corpus aliquod moveatur non ſolum motum concipiat neceſſum eſt, verum etiam oportet, ut aliquo dirigatur. Atqui ſi Materiae eſſentia motum complecteretur, nulla fingi poſſet ratio, quare potius huc, quam illuc tenderet. Materia igitur quoquoverſus aequaliter niteretur. Hujuſmodi autem conatus non eſt, niſi perfectiſſima quies. Quod enim in omnes partes Materia aequaliter tendat, idem eſt, ac ſi dicas, eam

mobilem eſſe, aptam ſcilicet, ut quoquoverſus ſeſe moveat; otioſam tamen plane quieſcere. Ergo.

Hoc ſane argumentum fortaſſe Epicuro non latuit. Ut enim ipſius vim eluderet, ſuas atomos, quas qualitatibus omnibus ſpoliaverat, inſita gravitate donavit; atque inde fieri docuit, ut per infinitum ſpatium jugiter ſuo deorſum pondere ferrentur.

Verum homo acutus rem attulit plane commenticiam. Nam 1. nullus ſuperior atque inferior locus in infinito ſpatio eſſe poteſt: quomodo igitur gravitate ſua atomi deſcendunt, cum nullus ſit medius locus, quem petere queant?

2. Neque id, cujus cauſſa haec finxit, aſſecutus eſt Epicurus. Gravitatem enim atomis impertivit, ut motus cauſſam aperiret. Atqui id tantum docuit, atomos propterea deſcendere, quia deſcendunt. Gravitas enim non eſt, niſi niſus deſcendendi; unde igitur hujuſmodi niſus oriatur, explicandum erat Epicuro.

3. Gravitas, quae corporibus inſita eſſe ſtatuitur, centrum poſtulat, quo corpora ipſa ferantur. Quis autem centrum conſtituit?

4. Ad libidinem fingitur haec atomis inſita gravitas. Ex oſtenſis enim motus ad Materiae eſſentiam non pertinet. Gravitas autem non eſt, niſi peculiaris motus, quo Telluris corpora Terram petunt, quo Lunae aliorumque Planetarum partes ad Lunam ceteroſque Planetas tendunt. Neque igitur gravitas Materiae eſſentialis eſſe poteſt: quamvis ad Mundi compagem conſtituendam ſit neceſſaria.

PROPOSITIO III. *Quamvis Materia ab aeterno eſſentiali motu praedita exſtitiſſe ſtatuatur ; fieri tamen nequit, ut inde mundus prodierit.*

Demonſtratur I. Si atomorum per inane volitantium complexiones & copulationes Tellurem, Planetas, aliaque corpora effecerunt : id quidem proficiſci potuit vel ex *impulſionis* motu omnibus atomis communi, vel ex mutua earumdem *attractione*. Atqui neutra haec hypotheſis rerum univerſitatem ab atomis confectam eſſe docere poterit. Ergo.

Non prima. Individua enim haec corpuſcula impulſionis motu agitari ſtatuitur. Sed mutuus hujuſmodi conflictus, quo atomi aliae alias impellunt, nunquam faciet, ut atomi copulentur : ſed potius, ut divellantur, aut ſi cohaeſerint, iterum ſecundo adveniente impulſu diſſocientur. Liquet igitur nunquam fore, ut atomi aliae alias apprehendant, atque ita continuentur, ut rerum formas & figuras efficiant ; ſi impulſionis motus ipſis naturalis dicatur.

Non ſecunda. Mutua enim attractio ad Materiae eſſentiam nihil pertinet. Nam ſi ſuapte natura inſitam in ſe attractionem Materia haberet, nulla informis materia, nulla confuſa atomorum farrago, nullum denique Chaos eſſe poſſet: quin etiam rerum univerſitatem, qualis in praeſens cernitur, ab omni aeternitate exſtitiſſe oporteret. Attractio enim eſt commune illud vinculum, quo materiae partes cohaerent: quo univerſa Mundi corpora veluti inter ſe apta & connexa certos motus conſtantiſſime conficiunt, atque ornatiſſimam hanc & pulcherrimam rerum uni-

ver-

verſitatis ſpeciem conſtituunt. Vis igitur attractionis atomis inſita eas turbulento motu agitari non pateretur.

Abſurdus autem eſſet, ſi quis Materiam ab aeterno attractione praeditam eſſe diceret: atque eam tum demum exſeruiſſe contenderet, cum ad res efficiendas veluti proſiluerit. Quis enim aſſequi poterit vim attractionis in ſinu materiae delitescentem, qua Materiae partes aliae alias non attrahant?

Neque ab his difficultatibus ſeſe expediunt Democritici, cum ajunt praeſentem Mundum ex alio jam diſſoluto enatum eſſe, atque illum ex aliis, qui deinceps interiere, prodiiſſe. Suis potius opinionibus implicantur, & graviorem plagam accipiunt, ut leviorem repellant. Quicunque enim Mundi interitus eſſe nequit, ſi mutuam attractionem Materiae eſſentialem eſſe conſtituas; dummodo aequalis interſit proportio inter motum impulſionis, atque attractionem. Fieri quippe nequit, ut materiae partes, quae naturali vi commune centrum petunt, ab eo divellantur.

Quod ſi, ut liberalius cum Atheis agamus, attractionem ad Materiae eſſentiam pertinere aſſentiamur: ſua tamen ipſi cauſſa cadunt. Aut enim vim atomorum in infinito inani volitantium immenſam eſſe ſtatuunt: aut atomos numero circumſcriptas per finitum ſpatium vagari tuentur. Atqui, quaecunque ſit hypotheſis, rerum univerſitas effici non potuit, etiamſi ab aeterno Materiae inſita ſit attractio. Ergo.

Nam I. Si tum quod ad ſpatium, tum quod ad materiam attinet, finitum eſſe dicatur Chaos: mu-

mutua attractione ita agerentur atomi, ut omnes undique medium ſpatii locum capeſſerent: atque aliae alias deinceps apprehendentes inter ſe junctae permanerent. Unicam igitur maſſam, eamque immanem & ſphaericam effingerent. Nullus igitur Mundus varietate corporum ornatus ex finitis atomis oriri potuiſſet.

II. Sin autem Chaos infinitum eſſe ſtatuant Athei, nullo quidem conſilio plane ipſi definient, quidnam attractio atomis naturaliter inſita efficere potuerit. Quin etiam licet atomos ita ſecum conſociatas eſſe dicas, ut Planetas aliaque corpora efformaverint; nunquam tamen fieri potuit, ut Planetae ſive interiori ipſorum gravitatione, ſive exteriori aliorum corporum impulſione ſuas ſibi converſiones compararint.

Si enim ordinatos Planetarum motus conſideremus, plane conſtat eos hujuſmodi curſus ſuapte vi arripere non potuiſſe: ſed divinae duntaxat potentiae opus eſſe. Singuli ſuum habent centrum, quod conſtanter reſpiciunt, cum quiſque peculiarem conficiat orbitam. Eos gravitatione centrum petere, & proportionatam impulſionis obliquae quantitatem accepiſſe videmus, quae reſpondet projectioni ad tangentes orbitarum. Compoſitus hic motus, qui ex attractione & projectione ſimul conjunctis enaſcitur, eas circulares aut ellipticas orbitas definit, quas circa Solem Planetae, & circa primarios Planetas ſecundarii conficiunt. Gravitas enim facit, ne a centro aberrent, impulſio vero, ne centrum petant.

Jam vero etiamſi ſtatuatur attractionem Materiae eſſentiae propriam & peculiarem eſſe: una ta-

tamen attractio cauſſa eſſe nequit, quare Planetarum motus exſtiterint. Mutuae enim attractionis vis efficit, ut Sol trahat ad ſe Planetas, & viciſſim ab ipſis trahatur, Planetae vero ſuos ſatellites. Una igitur attractio ab impulſione ſejuncta motum ipſis impertiri non potuit. Impulſionis autem motus undenam oriri potuerit, ne divinari quidem licet Atheis. Ergo.

Neque cauſſam aperire poterunt Athei, quamobrem non unum ſit attractionis centrum, ſed circa Solem Planetae revolvantur: & Tellurem, Jovem, & Saturnum alii minores Planetae comitentur, quorum unuſquiſque circa primarium ſuum circumvolvitur. Aut cur Stellae fixae eâdem, qua cetera corpora, attractionis vi praeditae nullas circa aliquod commune centrum converſiones conficiant. Licet igitur infinitum Chaos fuiſſe detur Atheis; ex infinitis tamen atomis Mundus oriri non potuit.

PROPOSITIO IV. *Materiae repugnat Hylozoitarum Vita: neque ex ea Senſus atque Intelligentia oriri poteſt.*

Demonſtratur pars prima Propoſitionis. I. Vitae nomine, quam Materiae inſitam eſſe docent Stratonici ac Pſeudo-Stoici, intelligunt interiorem vim atque efficaciam, qua ex ſeipſa ſeſe movendi ac fingendi poteſtatem habet Materia. Atqui hujuſmodi facultas Materiae prorſus repugnat. Ergo. Nam 1. Inertia, quam Materiae ineſſe omnes experimur, & quam ipſi propriam & peculiarem eſſe ſuperius oſtendimus, componi nequit cum motu interiori & proprio. 2. Motus a ſe in ſeipſo actio eſt intima atque immanens. Atqui hu-

hujuſmodi actio Materiae vires plane excedit. Quaelibet enim illius pars in aliam agere poteſt: at in ſeipſam non poteſt. Hylozoitarum igitur vita abhorret a Materia.

II. Vita iſthaec, qualem Hylozoitae comminiſcuntur, ejuſmodi eſt, ut ea nihil abſurdius fingi queat. Eam enim conſcientia & perceptione deſtitutam eſſe docent: at eam omnium ſapientiſſimam haberi volunt; nullam quippe Materiae partem eſſe ajunt, quae non accurate teneat, quibuſnam rebus apta ſit aut inepta, quidve facere vel ferre queat. Quis autem haec ſecum pugnare non deprehendit? Scientia enim atque intelligentia eſſe nequit, quae ſenſus expers ſit, nullamque eorum, quae agit, conſcientiam habeat.

Propoſitionis pars altera ex iis abunde liquet, quae diſſeruimus, cum Humanae Menti ſimplicitatem vindicaremus.

PROPOSITIO V. *Dei Exſiſtentia demonſtratur*.

Atheorum copiis profligatis age nunc argumentorum aciem, quae Deum eſſe oſtendunt, inſtruamus. Ea porro in tres claſſes diſpertiri poſſunt. Vel enim ex omnium gentium conſenſu colliguntur, & *Moralia* nuncupare licet: vel ex Univerſi fabricatione, ordine, & finibus, quae *Phyſica* dicimus: vel tandem ex ſolidiſſimis Philoſophiae principiis, quae *Metaphyſica* appellantur. A poſtremis exordiamur.

AR-

ARGUMENTA METAPHYSICA.

I. AB omni aeternitate aliquid exſtitiſſe oportet. Atqui quod ſuapte natura ab omni aeternitate exſtitit; idem exſiſtendi neceſſitatem complectatur oportet. Quod autem neceſſario exſiſtit, perfectiſſimum eſt. Ab omni igitur aeternitate exſtitit Ens perfectiſſimum, quem Deum appellamus.

Hoc ſane argumentum ἀποδεικτικὸν *demonſtrativum* eſſe ſolus amens inficias iverit. Quod enim ab aeterno aliquid exſtitiſſe oportet, Athei omnes conſentiunt, qui ad ravim uſque inclamant, *E nihilo nihil*. De quo autem cum ipſis nobis eſt diſceptatio, id ſcilicet eſt, cujus illud naturae ſit, quod ab omni exſtitit aeternitate. Atqui ludibrium omnibus debent Athei, cum materiam rerum omnium viliſſimam, atque ab omni parte imperfectam, ab omni exſtitiſſe aeternitate effutiunt. Eam enim nullam exſiſtendi neceſſitatem comprehendere, & perennes ſubire viciſſitudines ſuperius demonſtravimus.

II. Nobiſcum Athei conſentiunt, non omnia, quae hodie obtinent in rerum univerſitate, ab aeterno exſtitiſſe: ſed aliquid fuiſſe, unde reliqua prodierint. Atqui quod ceteris omnibus initium dedit, perfectiſſimum ſit oportet, ejuſque naturas, ut univerſas τῶ εἶναι *eſſendi* rationes complectatur. Ergo.

Cauſſa enim ſuo effectui excellit; neque effectus eſſe poteſt cauſſae ſuae viribus & facultate

prae-

praeſtantior. Fuit igitur ab aeterno Ens aliquod perfectiſſimum, cui originem ſuam universa acceptam referunt. Hoc autem Ens Materia eſſe nequit; vita enim, ſenſus, atque intelligentia, ab eo, quod vita, ſenſu, atque intelligentia caret, fluere non poteſt.

III. Aut aliquod Ens aeternum, immutabile, atque independens: aut mutabilium Entium infinita ſeries ſtatuatur oportet. Atqui hoc alterum repugnat. Ergo.

Nam 1. infinita iſthaec contingentium ſeries nullam extrinſecus cauſſam habet, unde exſiſtat. Ea enim ex univerſis rerum naturae Entibus componi ſtatuitur, quorum alia alia ab aeterno produxerint, & quae omnia nullam primam cauſſam agnoſcant. Neque interior aliqua exſiſtentiae cauſſa fingi poteſt. Nullum enim neceſſario exſiſtit: ſed omnia ita comparata ſunt, ut alia ex aliis pendeant. Partes igitur, unde tota ſeries conflatur, exſiſtendi neceſſitatem non comprehendunt. Ergo & ipſa ſeries ea deſtituitur. Quod autem neceſſario non exſiſtit, ab alio pendet, ut exſiſtat. Repugnat igitur infinita contingentium ſeries, quae ſuae originis cauſſam excludit.

2. Si haec contingentium ſeries finita eſſe ſtatuatur, eam profecto neutiquam admitti poſſe fatentur Athei. Atqui infinitas, quam huic adſcribunt Athei, nihil ſuffragatur; quin imo magis, magiſque illam repugnare arguit. Ergo. Singula enim Entia, quae ſeriem conſtituunt, ſufficienti exſiſtentiae ratione deſtituta, hujus profecto indigent. Infinita ſeries ſtatuitur: indigentia igitur in infinitum creſcit: nimirum infinita vi

opus

opus eſt, cui exſiſtentiae rationem referant acceptam.

3. Quaevis Entia, unde infinitam ſeriem coaleſcere comminiſcuntur Athei, ita ſunt, ut olim praeſentia fuiſſe, & nunc praeterita eſſe jure quis dixerit. Atqui quod praeſens fuit, ac praeteriit, prioris & poſterioris differentiis, temporis nimirum intervallis ſubjicitur. Id autem cum infinitate atque aeternitate componi nequit. Infinita igitur contingentium ſeries, quae ab omni aeternitate exſtiterit, plane repugnat.

4. Infinita contingentium ſeries, quam ſtatuunt Athei, id profecto efficit, ut nihil in rerum univerſitate naturae neceſſitate exſiſtat. Jam vero ſi nihil neceſſario exſiſtit, aeque fieri poteſt, ut nihil ab aeterno exſtiterit, quam ut mutabilium Entium ſeries exſiſtentiam acceperit. Quî igitur factum eſt, ut haec Entium ſeries ab aeterno potius fuerit, quam non item? Id ab exſiſtendi neceſſitate proficiſci non potuit; haec enim nusquam eſt. Neque caſu aut fortuna id fieri potuit; quippe vocabulum iſtud ſpecioſum eſt, at nihil ſignificat. Neque tandem alicujus Entis opus eſſe potuit; nullum enim antehac exſtitiſſe ſtatuitur. Nihil igitur in cauſa fuit, quamobrem illa Entium contingentium ſeries exſtiterit. Quid autem abſurdius fingi poteſt, quam nihil aeternae Entium exſiſtentiae cauſſam eſſe? Omnino igitur oportet, ut Ens ab omni aeternitate exſtiterit, quod *αὐτογενὲς* ſit, atque *αὐθυπόστατον*, *per ſe* ſcilicet *ſine ullo exſiſtat initio*.

AR-

ARGUMENTA PHYSICA.

I. UNiverſa Mundi compago ex innumeris partibus inter ſe connexis & aptis componitur; quarum ſingulae eo artificio diſpoſitae inter ſe cohaerent ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem poſſit aptius. Atqui infinitarum partium ordo, proportio, conſenſus, ut unum perfectum atque harmonicum conficiant, unius intelligentiae, conſilii, atque artis ſapientiſſimae opus eſſe poteſt. Intelligentiſſima igitur Mens exſiſtit, cujus conſilio & arte rerum univerſitas condita eſt.

Et re quidem vera etiamſi ſtatueretur materiam ab omni aeternitate exſtitiſſe, eamque motu percitam fuiſſe; nunquam tamen inde mundus ſine tanti operis architecto prodire potuiſſet. Atomi enim ut ut innumeris copulationibus ſecum conſociari poſſint, fieri tamen nequit, ut ordinatam coagmentationem ipſae per ſe conſtituant. Nam partium ordo ac proportio infinitis cauſſis excidere poteſt. Atqui ubi totius proportioni ac ſymmetriae infinitae deordinationis cauſſae adverſantur, ibi ſapientiſſimae Mentis potentia adſit oportet, quae ordinem conſtituat, & conſtitutum moderetur. Ergo. Summam equidem prae ſe ferret inſaniam, qui Homeri aut Virgilii carmina ex innumeris litterarum formis ſine ulla arte digeſtis proſiluiſſe arbitraretur. Ita ſane ſollemnia inſaniunt Athei, cum praeſentem mundum ex atomis rationis expertibus effici potuiſſe effutiunt. In hanc rem digna ſunt, ut legantur quae fuſe

diſ-

diſputat Tullius, unde nonnulla in imam paginae oram rejecimus (*a*).

II. Quodcunque ad propoſitum finem dirigitur intelligentis cauſſae effectus eſt. Atqui ſingulae hujus univerſi res ad certum quemdam finem deſtinantur. Intelligentem igitur cauſſam, a qua prodierit, praeſens rerum univerſitas arguit.

Hujus quidem argumenti vim, niſi plane plumbei ſint, deprehendant oportet Athei. Nulla enim cauſſa propoſito fine agere poteſt, niſi quae probe intelligat, quo pacto ſingulae res fin-

(a) *De Nat. Deor. Lib. II. cap. XXXVII.* Hic ego non mirer eſſe quemquam, qui ſibi perſuadeat, corpora quaedam ſolida atque individua vi & gravitate ferri, mundumque effici ornatiſſimum, & pulcherrimum ex eorum corporum concurſione fortuita? Hoc qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo, cur non idem putet, ſi innumerabiles unius, & viginti formae litterarum vel aureae, vel quales libet aliquo conjiciantur, poſſe ex his in terram excuſſis annales Ennii, ut deinceps legi poſſint, effici: quod neſcio an ne in uno quidem verſu poſſit tantum valere fortuna. *Ibid. cap. XLIV.* Haec omnis deſcriptio ſiderum atque hic tantus caeli ornatus ex corporibus huc & illuc caſu, & temere concurſantibus potuiſſe effici, cuiquam ſano videri poteſt? aut vero alia quae natura mentis, & rationis expers, haec efficere potuit, quae non modo ut fierent, ratione eguerunt, ſed intelligi qualia ſint ſine ſumma ratione non poſſunt?

gi ac temperari, tum mutua inter ſe conſenſione reſpondentes conſociari debeant, ut ad finem, cui intenditur, univerſae conſpirent. Unde fit, ut quo pluribus partibus, iiſque vario inter ſe nexu compoſitis opus aliquod coaleſcit, eo praeſtantior artificis ſapientia reſplendeat. Cauſſam igitur intelligentem poſtulant quaecunque certum quemdam finem praeſeferunt. Jam vero in praeſenti rerum univerſitate nihil eſt, quod ſuum uſum non habeat. Singulae quaeque res ſingulare ſyſtema conſtituunt, quod ampliori ſyſtemati arctiſſimis vinculis adnectitur, idque etiam ad magis commune ſyſtema conflandum deſtinatur: adeo quidem, ut horum omnium ſyſtematum coagmentatio hanc, in qua verſamur, univerſitatem conficiat. Longum ſane eſſet per rerum naturam vagari, ut rerum incredibilem multitudinem, inſatiabilem varietatem, aptiſſimam fabricationem contemplemur; eaſque adeo affabre inter ſe conjunctas inſpiciamus, ut earum quaelibet ſuum habeat finem, omnes vero ad unum ſingulis communem referantur. Legi poſſunt Gulielmus Derham, ac Niewentitius, qui dedito ſtudio hanc ſibi exornandam materiam ſuſceperunt: neque praetermittatur Tullius in *Lib. II. de Nat. Deor.* His vero inſpectis quo dementiae vocabulo appellandi nobis erunt, qui concurſum fortuitum, caecam neceſſitatem, ſtupidam naturam rerum omnium cauſſam eſſe inepte garriunt? Perabſurdi quidem ſunt, cum oculos ex. gr. aures, pedes &c. non ideo factos eſſe blaterant, ut iis videamus, ambulemus: ſed iis caſu effectis fortuitam experien-

tiam

tiam docuiſſe, cuinam uſui poſſent ejuſmodi membra deſtinari (*a*).

III. Multarum partium ſyſtema, quarum aliae alias gradatim excedunt, niſi ab intelligenti cauſſa eſformari non poteſt. Atqui varios in hoc mundo rerum gradus conſpicimus. Apparet igitur intelligentis naturae ratio.

Diverſas ſane virtutes ac perfectiones per univerſas res diſperſas deprehendimus, ita tamen ut ſin-

---

(a) Anilem hanc fabellam proſequitur Lucret. Lib. IV. v. 821.

Illud in his rebus vitium vehementer, & illum
Effugere errorem, vitareque praemeditator,
Lumina ne facias oculorum clara creata,
Proſpicere ut poſſimus: & ut proferre viai
Proceros paſſus, ideo faſtigia poſſe
Surarum, ac feminum pedibus fundata plicari:
Brachia tum porro validis ex apta lacertis
Eſſe, manuſque datas utraque a parte miniſtras,
Ut facere ad vitam poſſimus, quae foret uſus.
Cetera, de genere hoc inter quaecunque pretantur
Omnia perverſa praepoſtera ſunt ratione.
Nihil ideo quoniam natum eſt in corpore, ut uti
Poſſemus: ſed quod natum eſt, id procreat uſum.
Nec fuit ante videre oculorum lumina nata:
Nec dictis orare prius, quam lingua creata eſt,
Sed potius longe linguae proceſſit origo
Sermonem: multoque creatae ſunt prius aures,
Quam ſonus eſt auditus: & omnia denique membra
Ante fuere, ut opinor, eorum quam foret uſus.
Haud igitur potuere utendi creſcere cauſſa.

ſingulae certis quibusdam veluti gradibus inter ſe diſtent. Atque ut in hac, quam incolimus Tellurem, immoremur: primo ſeſe nobis offerunt, quae omni activitate carent: tum ſequuntur quae vegetantur, quae naſcuntur, quae creſcunt, quae vivunt: haec deinde excipiunt animalia, quae ſe movent ac ſentiunt: ac tandem, qui iis longe praeſtant, agmen claudunt homines, qui praeter vitam ac ſenſum ratione atque intelligentia valent. Unde porro iſthaec rerum gradatio? Niſi ſupremam Mentem concipias, nullam invenies cauſſam, quae ſuis quaſque res circumſcripſerit limitibus.

IV. Quae diverſis viribus inſtructa perpetuo conflictu ſecum agunt, cauſſae potentioris auxilio indigent, ut conſiſtant. Atqui perennis diverſarum virium conflictus inter mundana corpora obtinet; circulari enim motu agitantur, qui ab attrahente atque impellente vi componitur. Virium igitur quantitas ex perenni conflictu ſenſim imminuatur, ac directio paullatim immutetur oportet. Quamobrem, obſervante Newtono Phyſicorum facile principe, ſupremae Cauſſae potentia opus eſt, quae vires apte diſpertiat, detrimenta inſtauret, ac directionem incolumem ſervet.

V. Quae multis diverſiſque modis eſſe poſſunt, ut hoc potius, quam alio pacto ſint, cauſſam expoſcunt, quae eorum modum definiat. Atqui corporum caeleſtium diſtantia, motus, converſiones, viciſſitudines ejuſmodi ſunt, ut innumerabiles modos ſubire poſſint. Suprema igitur Mens exſiſtit, quae in *numero*, *pondere*, & *menſura* omnia conſtituit.

AR-

ARGUMENTA MORALIA.

I. N*Ulla gens eſt*, ut Tullii (*a*) verbis utamur, *neque tam immanſueta*, *neque tam fera*, *quae non*, *etiamſi ignoret*, *qualem habere Deum deceat*, *tamen habendum ſciat*. Haec autem communis univerſis nationibus animi perſuaſio manifeſta ipſius naturae vox eſt (*b*). Ipſa igitur natura Deum exſiſtere docet.

Quod vero univerſorum animis inſedit Dei notitia, ex hiſtoricis monumentis abunde liquet. Nullam ſiquidem nationem olim exſtitiſſe ſcimus, quae Deum non agnoverit (*c*). Quin & bar-

(a) *De Leg. Lib. I. cap. VIII.*

(b) *Ut enim ſcite Tullius De Nat. Deor. Lib. II. Cap. II.* Niſi id cognitum comprehenſumque animis haberemus, non tam ſtabilis opinio permaneret, non confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum ſeculis aetatibuſque hominum inveterare potuiſſet. Etenim videmus ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuiſſe.

(c) *Plutarchus adverſ. Colotem Epicur.* Si terras obeas, invenire poſſis urbes muris, litteris, regibus, domibus, numiſmate carentes, gymnaſiorum & theatrorum neſcias. Urbem vero templis diiſque carentem, quae precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum cauſſa ſacrificet, non mala ſacris avertere nitatur, nemo unquam vidit. Sed facilius urbem condi ſine ſolo poſſe puto, quam opinione de Diis penitus ſublata civitatem coire aut conſtare.

barbarae ipſae nationes, quae nuper nobis innotuerunt, ſupremi Numinis Mundi conditoris licet obſcuram, & confuſam ideam habent; atque etiam externo cultu, & religionis officiis illud venerantur.

Quod ſi nonnullae Gentes atheae a veteribus memorentur, aliaeque paucae noſtra fere memoria Deum ignorare repertae ſint; id propoſito argumento nihil officit. Nam 1. quae de veteribus referuntur, ipſis hiſtoricis incerta ſunt (*a*). 2. Nonnunquam ut efferatos gentium illarum mores exprimerent, eas atheas appellarunt (*b*). 3. Saepe etiam factum eſt, ut inter atheos recenſere olim conſueverint populos, apud quos tenuis

---

(*a*) *Stabo* Lib. III. p. 164. *cum Callaicos ſive Luſitanos inter Atheos recenſet*, inquit: Ἔνιοι δὲ τοὺς Καλλαικοὺς ἀθέους φασίν, quidam eos perhibent eſſe atheos. *Eos autem religione non caruiſſe idem auctor eſt; ipſorum enim ceterorumque populorum, qui boreale Hiſpaniae latus terminant, mores deſcribens ait*: Hirco maxime veſcuntur, quem & Marti immolant, ſicut & captivos & equos: faciunt etiam hecatombas, id eſt centenario numero ſacrificia, quolibet ex genere ritu Graecanico. *Gallos ab omni religione alienos arguit Cicero* pro M. Fontejo cap. IX. *ut cauſſae ſuae ſerviret, quam tamen* nationem omnem admodum fuiſſe deditam religionibus *teſtis eſt Caeſar* VI. de Bel. Gall. cap. XVI.

(b) *Laudatus Strabo eoſdem Callaicos atheorum loco habitos eſſe ait*, quod commerciis carentes humanitatem exuiſſe videbantur.

nuis admodum exteriorum rituum ac caeremoniarum apparatus obtinebat (*a*). 4. Qui Americanas quaſdam gentes Dei notitia deſtitutas narrant, illarum mores ex linguae ignorantia propius non inſpexerunt; eas enim non eſſe ſine religione licet falſa retulerunt qui diutius ac familiarius inter eas verſati ſunt (*b*).

 II. Si

(a) *Veteres Parthos Templis caruiſſe, ac ſine ulla pompa Deo ſacra feciſſe ſcribit Herodotus. Superſtitioſae porro religionis modicum uſum in cauſſa fuiſſe, cur nonnullae gentes pro atheis haberentur vel illud argumento eſt, quod & Judaeos & Chriſtianos velut atheos olim traduxerint. Judaeos quidem redarguit Juvenalis* Sat. XIV. *quod* Nil praeter nubes & caeli lumen adorant. *Chriſtianos vero atheos appellabant Gentiles, quod eorum Deos non colerent. Arnobius* lib. VI. In hac conſueſtis parte invidias nobis tumultuoſiſſimas concitare, appellare nos atheos, & quod minimum tribuamus Diis.

(b) *Summopere cavendum eſt, ne proclivi animo fidem eorum dictis adjungamus, qui longe a nobis poſitarum nationum mores referunt. Cum enim barbarae cujuſdam nationis, quam quis primum inviſit, Religio eſt inveſtiganda, plura is in comperto habeat oportet, quae omnia vix aut ne vix quidem ſemper praeſto eſſe poſſunt. Ecquis enim non intelligit, omnino oportere, ut qui inhumanae gentis Religionem deprehendere amat, illius linguam optime calleat, faciles habeat ad incolas aditus, pleriſque ipſorum familiariter utatur, attentis*

II. Si hominum genus aliquando eſſe incepit, ſi praeſens Mundus non ſemper fuit; profecto Deus eſt. Atqui eſſe coeperunt homines, Mundus hic aliquando non fuit. Ergo. Majoris ſane propoſitionis pars conſequens per se patet. Quod enim non eſt, ratione indiget ſufficiente, cur ſit: haec

---

tis oculis eorum actiones inſpiciat, eaſque aliquamdiu accurate perpendat, aliaque hujuſmodi ſtudioſe rimetur, donec tandem interioris animi ſenſa inveſtigare liceat? Atqui haec omnia extemplo, primo intuitu, & brevi temporis intervallo innoteſcere nequeunt. Quam igitur demerentur fidem, qui a limine Americanas gentes ſalutantes, nulla Dei opinione eas imbutas eſſe venditant? Petrus *quidem* Kolbius *in* Deſcriptione Capitis Bonae Spei, *qui decem annos verſatus eſt inter Hottentotos, quos ante alios veluti atheos traducere conſueverunt, ſe plurimum inſudaſſe narrat, ut quam illi profiterentur Religionem aſſequeretur. Qui enim maritimas oras incolebant, ita callidos tectoſque eſſe tradit, ut cum eos de Religionis dogmatis ſciſcitaretur, ne verbum quidem ab ipſis elicere unquam potuerit; illudi enim ſe ab Europaeis exiſtimabant. Eorum porro de Religione ſententiam tum demum ipſi expiſcari licuit, cum in interiorem regionem penetrans, amicitiam cum ipſorum ſimplicioribus inire coepit. Ex iis autem didicit, Hottentotos Numen, quod univerſas res effecit, venerari, Lunae ut inferiori divinitati cultum exhibere, alioſque ſacros ritus peragere, quos ipſe fuſe*

haec autem in ea cauſſa comprehendatur oportet, quae ſua virtute & efficacia effectum edere poteſt. Atqui 1. materiam rerum initium eſſe non poſſe ſuperius oſtendimus: 2. homines ex terra veluti praegnante prorepſiſſe, ineptiſſima ſunt deliramenta. Deo igitur originem ſuam debent homines, ſi eſſe aliquando coeperunt. Mundi vero & humani generis novitas aperte colligitur 1. ex populorum origine: 2. ex Regnorum & rerum publicarum exordiis: 3. ex artium & ſcientiarum inventione ac progreſſione: quae omnia certis hiſtoriae monumentis ſignata habemus. Nam ſi populi coaleſcere, ſi regna conſtitui, ſi ſcientiae & artes inſtitui aliquando coeperunt; Mundus, & humanum genus non ſemper fuit. Has quidem rationes in medium exhibet Macrobius, quibus utpote aeternitatis Mundi aſſertor reſpondere connititur (a).

Obji-

ſe deſcribit. Ceterum non abs re erit adnotare, ſubleſtae fidei eſſe eos praeſertim inter Hiſpanos Americanarum rerum Scriptores, qui pleroſque hujus gentis populos Dei cognitione caruiſſe tradunt: Nam ut immanem crudelitatem, qua in Americanos ſaevitum eſt, praetexerent, omni eos exſutos eſſe humanitate accuſabant. Qua de re legendus Guilielmius Robertſonus *in Hiſtoria, quam de America conſcripſit, cum* Bartholomaei de las Caſas, *qui Americanorum patrocinium ſuſceperat, ad Hiſpaniarum Regem legationem exponit.*

(a) *In Somn. Scipion. Lib.* II. *Cap.* X. Nam quis facile mundum ſemper fuiſſe conſentiat, cum

& ipſa

Objicitur I. Sua fulget evidentia illud axioma, *Ex nihilo nihil fieri & educi poſſe*. Atqui dogmatis huius haec eſt ſententia: Quod ſemel non fuit, nullius potentiae viribus produci poteſt, & effici. Quae igitur in praeſens exſiſtit ma-

---

& ipſa hiſtoriarum fides, multarum rerum cultum emendationemque, vel inventionem ipſam recentem eſſe, fateatur? Cumque rudes primum homines, & incuria ſylveſtri non multum a ferarum aſperitate diſſimiles meminerit, vel fabuletur antiquitas; tradatque nec hunc eis, quo nunc utimur, victum fuiſſe, ſed glande prius, & baccis altos, ſero ſperaſſe de ſulcis alimoniam. Cumque ita exordium rerum, & ipſius humanae nationis opinemur, ut aurea primum ſecula fuiſſe credamus, & inde natura per metalla viliora degenerans ferro ſecula poſtrema foedaverit. Ac ne totum videamur de fabulis mutuari, quis non hinc aeſtimet Mundum quandoque coepiſſe, nec longam retro ejus aetatem: cum abhinc ultra duo retro annorum millia de excellenti rerum geſtarum memoria, ne graeca quidem exſtet hiſtoria? Nam ſupra Ninum, a quo Semiramis ſecundum quoſdam creditur procreata, nihil praeclarum in libros relatum eſt. Si enim ab initio, immo ante initium fuit mundus, ut Philoſophi volunt; cur per innumerabilium ſeriem ſeculorum non fuerat cultus, quo nunc utimur inventus? Non litterarum uſus, quo ſolo memoriae fulcitur aeternitas? Cur denique multarum rerum experientia ad aliquas gentes recenti

materia, ſemper fuit. Ergo ab omni aeternitate exſtitit materia.

Reſp. Propoſitum axioma ambiguitate laborat: plures, quas illud complectitur, ſententiae ſunt extricandae. Et 1. quidem verum eſt nihil quod aliquando non fuit, ullo modo ſemetipſum fingere & condere poſſe: quod perinde eſt, ac ſi dicas, nihil quod non exſiſtit, exſiſtendi cauſam ſibi eſſe poſſe. Hoc autem ſenſu ſi laudatum Axioma ſumatur, de ipſius veritate nobiſcum amice conſpirant Athei.

2. Hinc ſine ulla ſequitur controverſia, nihil quod antea non fuit, fingi & creari poſſe, niſi adſit cauſſa, cui tanta ſit virtus & perfectio, quanta ad rem illam efficiendam requiritur. Conſtat quoque hujus ſententiae veritas. Si enim effectum cauſſa praeſtantius eſſet, profecto fieret, ut quod in effectu melius eſt, e ſeipſo, h. e. ex nihilo procreatum eſſet. Uterque autem traditus ſenſus ad efficientem cauſſam attinet.

3. Tertia cum his connexa eſt ſententia, quae ex dictis aperte concluditur. Quodcunque ex aliis rebus antea exſiſtentibus tanquam e materia ſua formatum eſt, praeter id, quod rebus illis ineſt, quidquam complecti nequit. Nimirum cum res

---

ti aetate pervenit? Ut ecce Galli vitem, vel cultum oleae, Roma jam adoleſcente didicerunt. Aliae vero gentes adhuc multa neſciunt, quae nobis inventa placuerunt. Haec omnia videntur aeternitati rerum repugnare, dum opinari nos faciunt certo Mundi principio paullatim ſingula quaeque coepiſſe.

res ex materia naturaliter generantur, nihil novi ex nihilo producitur, neque creatur aliquid, quod prius non fuerit. Hujus quidem ſententiae explorata veritas eſt ex antecedentibus.

Verum quartam comminiſcitur ſententiam profana Atheorum cohors: rem ſcilicet nullam, quantacunque accedat potentia, niſi eadem fuerit antea, effici ac produci poſſe, ſive nihil fieri poſſe, niſi exſiſtat aliquid antea, quod nova donari forma poſſit.

Atqui ſi haec Axiomati, de quo diſputamus, tribuatur ſententia: iidem Athei in illud peccant. Ipſis enim ratum eſt ex materia, quae ſola neque facta neque creata eſt, univerſa prodiiſſe. Cum autem id doceant, ex nihilo ea facta eſſe docent. Senſum enim, atque intelligentiam e Materia oriri pronuntiant. Fatentur autem ſenſu atque intelligentia materiam deſtitui. Ea igitur, cum antea non eſſent, ex nihilo facta eſſe conſtituunt. Iidem igitur, qui Deum idcirco negant eſſe, quia nulla natura poteſtatem creandi habere poteſt; hi nihilo minus materiae brutae atque inerti vim attribuunt, qua vivas atque intelligentes ſubſtantias e nihilo educat.

Verum hoc idem Axioma Materiae aeternitatem abjudicat, & neceſſarii Entis exſiſtentiam adſtruit. Propterea enim aliquid ab omni aeternitate exſtitiſſe oportet, quia nihil fieri & exſiſtere poteſt ex nihilo. Atqui quod neque factum neque creatum ab aeterno exſtitit, natura ſit oportet neceſſario per ſe exſiſtens. Si enim ita eſſet, ut non eſſe potuiſſet, nullam exſiſtentiae ſuae rationem ſufficientem haberet. Nullam autem

tem haberet, quia ſemper exſtitit, h. e. omnem, a qua factum ſit, cauſſam excludit. Rationem igitur, cur exſiſtat, in ſe complecti debet illud, quod ſemper exſtitit: nimirum neceſſario exſiſtat oportet.

Jam porro exſiſtendi neceſſitas ab eſſentiae infinitate proficiſcitur: nimirum neceſſario exſiſtit, quod univerſam *ὀντότητα* (*realitatem*) comprehendit. Atqui materiam infinitam, h. e. perfectiſſimam eſſe ipſi negant Athei. Aeternitatem igitur Materiae repugnare docet celebratiſſimum apud ipſos axioma.

Objicitur II. Praeſens rerum univerſitas Deum eſſe doceret, ſi ſecluſo Deo illam eſſe non poſſe oſtenderetur. Atqui poſita atomorum ab aeterno exſiſtentium concurſione, inde Mundus prodire potuit. Ergo ex Mundi fabricatione quod Deus ſit, colligi nequit. Probatur Minor. Copulationes, quibus ſecum conſociari poſſunt atomi, infinitae ſunt. Ergo inter eas reapſe verſatur ea complexio, quae praeſentem Mundum conſtituit. Si continetur, proſilire potuit. Si potuit; non repugnat fortuitam atomorum concurſionem hunc Mundum effeciſſe. Ergo.

Reſpondeo fieri nullo pacto poſſe, ut fortuitus atomorum concurſus praeſentem Mundum efformaverit. Neque multis opus eſt, ut id omnino repugnare demonſtretur. Quamvis enim innumerabiles atomorum complexiones eam comprehendant, unde Mundi compago exoritur: haec tamen una eſt, quae inter reliquas omnes inordinatas ratis ordinibus conſtituta perfecta eſt. Atqui numerus conjunctionum inordinatarum, quae in cu-

cujuslibet rei ſyſtemate verſantur, ordinatarum numerum excedit perinde, atque infinitum praetergreditur unitatem. Ex. gr. duorum pedum ſuperficies varias ordinatas figuras ſubire poteſt. At earum ſingulae infinitas habent inordinatas figuras, quibus a certa lege deflectere poſſunt. Infinita nimirum ſcalenorum triangulorum multitudo aequilatero triangulo opponuntur, trapetiorum quadrato, pentagonorum inordinatorum pentagono ordinato &c. Infinitas igitur atomorum inordinatas complexiones adverſantes patitur ea coagmentatio, unde Mundus prodiret. Atqui cum infinitum pugnat cum unitate, perinde eſt, ac ſi denarius cum nullo numero compararetur. Conſtat quidem probabilitatis gradus ex majori vel minori oppoſitae difficultatis numero aeſtimari; adeo ſane, ut eo difficilior alicujus rei exitus habeatur, quo plures illi contrarii adverſantur eventus. Atqui uni ordinatae atomorum non plures, non numero maximo circumſcriptae, ſed quae quoſcunque limites indignantur deordinatae & inconditae copulationes eadem uſque aberrandi licentia refragantur. Pro explorato igitur habendum eſt ex infinita conjunctionum varietate prodire non poſſe ejuſmodi atomorum copulationem, quae Mundum effecerit.

At enim: Quemadmodum complexiones inordinatae ſunt infinitae; ita & infinitae ſunt ordinatae. Non igitur una ordinata pugnat cum infinitis inordinatis.

Verum quaelibet inter infinitas ordinatas coagmentationes efformetur, eadem contrarias patitur infinitas inordinatas: ut patet ex iis, quae modo diximus. At

At regerunt Athei. Hujuſmodi inordinatae complexiones ab omni aeternitate fuerunt. Nimirum atomi ab aeterno, quippe turbulento motu agitatae, mille formas induerunt, eaſque iterum exuerunt. Poſtquam igitur inordinatae omnes copulationes abſolutae fuerint, ordinata tandem, quae ex ordine erat, proſiluit.

Reſp. Quoties ordinata complexio fieri poteſt, toties infinitae inordinatae huic adverſantur. Ut enim quodvis ſyſtema a certo ordine deſciſcat, vel minima paucarum partium mutatione effici poteſt. Nam haec in cauſſa eſt, quamobrem partes omnes totius ſyſtematis non illuc conſpirent, quo ſcilicet ſyſtema ipſum intenditur. Nunquam igitur ordinata complexione ſecum cohaerere atomi potuerunt, quin huic adverſarentur infinitae, quae a ratis ordinibus abhorrerent. Aeternus igitur atomorum omnes rerum formas tentantium concurſus nihil Atheis ſuffragatur.

Objicitur III. Gentium omnium conſenſus Deum eſſe probaret, ſi hanc opinionem in homine natura ipſa ingenuiſſet. Atqui hujus invectae opinionis cauſſae ab ipſis hominibus proficiſcuntur. Ergo. Duo potiſſimum in cauſſa fuerunt, quamobrem ſupremi cujuſdam Numinis apud homines invaluerit opinio: 1. Regum & legumlatorum calliditas (*a*): 2. na-

(a) *Nimirum ipſi ajunt eos, qui civitates condiderunt, legeſque imperitae plebi rogarunt, probe intellexiſſe, quod facilius in officio homines continerentur, ſi Dei humanarum actionum vindicis opinione eos imbuerent. Intellexerunt enim, quod civi-*

2. naturae effectuum ignorantia, atque inde exoriens

---

civiles leges pauca quaedam crimina ulciſci poſſent : tum quod fieri non poſſet , ut univerſa omnino maleficia ſuae jurisdictioni ſubjicerentur : tum demum quod leges ipſae eas homini rationes proponere nequeant , queis conſtanter virtutem conſectetur . Hinc porro ad reverentiam & obſervantiam legibus conciliandam oportere deprehenderunt , ut eas ſacro religionis charactere veluti obſignarent , & ſe ipſos tanquam Dei interpretes populis proponerent . Potenti quippe freno eos coërceri cernebant , ſi perſuaſum haberent , ſupremum eſſe Numen , cui reſiſti nequit ; & cui ſuorum ſcelerum poenas daturi eſſent , omni ſpe impunitatis ſublata . Itaque callido artificio id egerunt Reges , ut populorum animi Summi Numinis opinione occuparentur . Hujuſmodi argumentum primum proſecutus eſt Critias , degener Socratis diſcipulus , & inter triginta Athenarum tyrannos peſſimus : cujus nonnullos verſus , qui apud Sextum Empiricum Lib. VIII. adverſ. Mathemat. §. LIV. *proſtant , ab Hugone Grotio latinitate donatos hic adnectere juvat : quamquam ex Euripidis* Sisypho *eos ſumtos eſſe ex Plutarcho quidam arbitrentur* :

Fuit illud olim tempus, exlex cum fuit
Ferinaque hominum vita, vim hominum ferens:
Honos nec ullus tunc habebatur bonis,
Supplicia nec tunc ulla terrebant malos.
Poſt mihi videtur condita a mortalibus
Cenſura legum . . . . .
Induxit ideo Numinis reverentiam:

Flo-

riens timor (*a*). Igitur inter praejudicatas opiniones amandanda hominum de Deo ſententia.

Florere nempe vita perpetua Deum,
Natura cui ſit potior, & cui mens vigil,
Quaecunque fiunt, curet atque intelligat;
Hominum profata qui repente exaudiat,
Actuſque cernat, neſcius falli arbiter. . . .
Hoc aliquis aſtu, ſic reor, mortalibus
Perſuaſit, eſſe ut crederent primum Deos.

Ejuſdemque ſententiae mentionem injecerunt plures apud veteres: ut praeter Platonem lib. x. de Legib. *Cicero lib.* I. *De Nat. Deor. cap. XLII.* Ii, qui dixerunt totam de iis immortalibus opinionem fictam eſſe ab hominibus ſapientibus reipublicae cauſſa, ut quos ratio non poſſet, eos ad officium religio duceret, nonne omnem religionem funditus ſuſtulerunt?

(a) *Primi hominum rudes & rerum cauſſarum ignari eclipſium, cometarum, aliorumque naturae phaenomenorum admirabilitate correpti in ſummum ſtuporem ac metum conjecti ſunt. Cum autem nihil ſub caelo eorum oculos obverſaretur, cui horum omnium effectuum cauſſam adſcriberent, in eam facile adducti ſunt opinionem, ut naturam aliquam eſſe crederent, quae eorum ſenſibus impervia, ipſorumque felicitati inimica res univerſas arbitrio ſuo moderaretur. Immoderatus igitur ac ſtupidus hominum pavor ignotum Numen finxit, quod veluti iratum ut ſibi conciliarent, venerari, & certis quibuſdam precum ritibus colere homines coeperunt. Ita fere inſanientis impietatis furore abrepti rem pro-*

Reſp. I. Rationem omnem excuſſiſſe oportet, qui hominum de Deo opinionem politicum figmentum eſſe arbitrantur. Nam 1. quod olim reges religione uſi ſint ad imperium ſtabiliendum; non recte inde efficitur eam ab illis eſſe inventam. Illud potius concludendum eſt, quod apud univerſos homines jam illa adeo obtinebat, ut inde

---

proſequuntur nuperi Athei, ac praeſertim Auctor Syſtematis Naturae Tom. II. cap. I. *Vetus autem & obſoletum hoc eſt impietatis argumentum. Pervulgatum enim eſt illud Petronii Arbitri,*

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua caelo
Fulmina cum caderent . . .

Tum & ante illum Lucretius ex animi terrore ac tenebris *opinionem de Diis natam eſſe docuit* lib.I. *quod uberius* lib. VI. 49. *proſecutus eſt*:

Cetera, quae fieri in terris caeloque tuentur
Mortales, pavidis cum pendent mentibu' ſaepe,
Efficiunt animos humiles formidine Divûm,
Depreſſoſque premunt ad terram; propterea quod
Ignorantia cauſſarum conferre Deorum
Cogit ad imperium res, & concedere regnum.
Quorum operum cauſſas nulla ratione videre
Poſſunt, ac fieri divino numine rentur.

Anteſignanum autem ſecutus eſt Democritum, cujus haec proſtat apud Sextum Empiricum lib.VIII. adverſ. Mathem. §. 24. *ſententia*. Videntes veteres quae in ſublimi accidunt, utpote tonitrua, & fulgura, & fulmina, & aſtrorum coitus, Soliſque & Lunae defectus, terrebantur exiſtimantes Deos eorum eſſe auctores.

inde imperii ſui ſtabilitatem reges firmare potuerint. Profecto qui aliorum animos ſibi devincire ſtudet, haud novas in eos perſuaſiones inducit, ſed affectibus atque opinionibus, quibus eos imbutos videt, ſeſe accommodat. Nunquam nocturnos congreſſus cum dea Aegeria Numa ſimulaſſet, niſi Numinis notionem in populo Romano deprehendiſſet. Perperam igitur concluditur alicujus opinionis auctorem eſſe, qui eam late diffuſam in rem ſuam convertit.

2. Si Dei opinio ad plebem in officio continendam regum calliditate invecta fuiſſet: ſapientes doctique ea vacui fuiſſent; quippe tyrannorum fraudes, ac fallacias facile deprehendere poterant. Atqui divini cultus acerrimi vindices ii plerumque fuerunt (*a*). Ergo.

3. Eſto regum aſtutia omnibus impoſuerit: qui factum eſt, ut tamdiu perdurarit, & tam longe lateque Dei opinio ſit pervagata? *Commenta* quidem *delet dies*, ut vulgo notum eſt. Praeterea jamdiu divinitatis hoſtes religionis commen-

(a) *Argumentum hoc apte verſat Lactantius* De Ira Dei cap. X. *Inquit enim*: Quod ſi fallendi noſtri, atque adeo totius generis humani cauſſa commenti ſunt religionem, ſapientes igitur non fuerunt; quia in ſapientem non cadit mendacium. Sed ut fuerint ſapientes, quae tanta felicitas mentiendi, ut non tantummodo indoctos, ſed Platonem quoque ac Socratem fallerent, & Pythagoram, Zenonem, Ariſtotelem, maximarum ſectarum principes tam facile deluderent?

tum in tyrannorum fraudem vertunt: nec tamen illa ex hominum animis ſublata eſt; nec minus de Deo ſententia hodie obtinet, quam olim obtinuit. Hujus igitur perſuaſionis natura ipſa in hominum animos radices egit.

4. Si a regum artificio Dei opinio originem duceret: ea deſtituerentur, qui nullis regibus parent. At ea barbaras ipſas nationes non caruiſſe ſuperius oſtendimus. Ergo.

5. Tandem παρέργως (*obiter*) advertimus ingenioſos iſtos diſputatores *principii petitione* peccare. Aſſumunt enim id, de quo diſputatur, nimirum hominum de Deo ſententiam commentum eſſe ac fabellam. In cauſſas inquirunt erroris, priuſquam eam perſuaſionem errorem eſſe demonſtrent (*a*).

Reſp. II. A veritate longiſſime alienum eſt, quod homines Deum eſſe putaverint propterea, quod timore correpti naturae effectuum cauſſas ſcrutari nequirent. Nam 1. quo remotiorem antiquitatem inſpicimus, eo magis a divinitatis notione terrorem abfuiſſe deprehendimus. Aegyptiorum profecto, Graecorum, ac Romanorum Dii homines erant, quorum apotheoſis ex acceptorum beneficiorum memoria, haud vero ex terrore originem habuit. Hinc quos in eorum cultum feſtos agebant dies, omnia laetitiae & hilaritatis argumenta ii praeſeferebant.

2. De-

(a) *Quae hactenus argumenta protulimus, ea a Cl. Moshemio mutuatos eſſe ingenue fatemur, quem vide in Adnotationibus ad Cudworthi* Intell. Syſt. Cap. V. Sect. I. §. LXXII.

2. Detur Atheis primos homines ex phaenomenorum admirabilitate ad Dei notitiam evectos eſſe. Quid tum poſtea? Id perinde erit, ac ſi dicas, ex Mundi hujus aſpectu ad Deum intelligendum homines adductos fuiſſe.

3. Si rerum phyſicarum ignoratio Dei opinionem invexiſſet: ea ſublata haec tandem evanuiſſet. Atqui quo diligentius naturae receſſus ſollertiſſimi homines ſcrutati ſunt, eo altius ipſorum animis Dei inſedit opinio. Ergo (*a*).

4. Infirmo nititur fundamento Atheorum argumentum. Nam ipſi ut hominum de Deo opinionem falſitatis arguant, eam ex metu ortam eſſe ajunt: ex metu autem eam eſſe profectam inde colligunt, quod in hominum animos hujuſmodi metus cadere potuerit. Quid autem hac concludendi ratione inanius? Nimirum eo redit illorum argumentationis ſumma: Quidquid repeti poteſt ex humani animi indole aut imbecillitate: id revera inde natum eſt: Atqui fieri potuit, ut primi hominum metu correpti Deum aliquem eſſe putaverint. Ergo . . . . Apage iſtas inanes concluſiunculas.

Objicitur IV. Quod Ens neceſſarium exſiſtere

 opor-

(a) *Ut veteres Philoſophos ſilentio praetereamus, nemo unquam mortalium abditos naturae receſſus ſagacius penetravit, quam Newtonus, Boylius, Muſchembroekius, Hallerius, aliique in Phyſicis diſciplinis exornandis ac demerendis ſtudioſiſſimi. Atqui praecipuus ipſorum laborum fructus is quidem fuit, ut Deum eſſe tum ſibi tum ceteris certo certius perſuaderent.*

oporteat inde deducitur, quod res contingentes exſiſtunt. Atqui nulla inter Ens neceſſarium & contingens intercedit affinitas: quippe illud exſiſtere poteſt, licet nullae ſint res contingentes. Entia igitur contingentia argumento non ſunt Deum exſiſtere.

Reſp. Piget hoc putidum ſophiſma diluere. Ejuſmodi enim nexu contingentium rerum exſiſtentia cum Ente neceſſario copulatur, ut illae eſſe non poſſint, niſi hoc exſiſtat. Quamvis enim Ente neceſſario exſiſtente contingentes res exſiſtere non ſequatur: attamen cum contingentia exſiſtant, omnino oportet, ut Ens neceſſarium ſit, cui ſcilicet illa acceptam referant exſiſtentiam. Quodvis igitur Ens contingens, quod exſiſtit, maximo argumento eſt Deum contingentium omnium auctorem exſiſtere.

Reliquas Atheorum objectiones, ut quae praecipuas Divinitatis proprietates impetunt, ſuo loco diſſolvemus.

CAPUT II.

Confutatur Pantheiſmus.

PAntheiſmi diſciplinam, qua tota rerum univerſitas Deus eſſe docetur, vetuſtiſſimam eſſe, & jam inde a priſcis ductam temporibus apud non paucos Graecos invaluiſſe nonnulli arbitrantur. Prima quidem hujus doctrinae veſtigia apud veterem Aegyptiorum Theologiam deprehendere li-

licet. In iis enim libris, qui Hermetis Triſmegiſti nomine inſigniti hodie quoque circumferuntur, nulla fere pagina *Deum eſſe omnia* non praedicat. Apertiſſimis ſane verbis in libro, qui ἱερὸς λόγος inſcribitur, *tota Mundi compages divinitas eſſe* perhibetur; *quippe ipſa natura in divinitate comprehenditur*.

Orpheus vero inter Graecos Deum univerſa ſinu ſuo occultantem ea demum eduxiſſe docuit. Illius enim haec erat ſententia:

Πάντα γὰρ ἐν μεγάλῳ Ζηνὸς τάδε σώματι κεῖται, *Omnes* nimirum *res in magno Dei concluſae corpore jacent*.

Xenophanes Eleatenſis familiae parens, eumque ſecutus Parmenides, quibus τὸ ἓν καὶ πᾶν, *Unum & omnia* placuit, naturam ab auctore naturae non ſejunxiſſe videntur.

Zeno vero, atque univerſa Stoicorum cohors, qui uno Naturae nomine Deum & Mundum comprehenderunt, tam arctis vinculis Deo materiam conjunctam eſſe putabant, ut unam veluti perfectamque ſubſtantiam conficerent.

Stoicorum veſtigiis inſtitiſſe videtur Plinius, qui (a) *Mundum, & hoc, quod nomine alio caelum appellare libuit, Numen eſſe aeternum, immenſum* . . . docuit. *Idem rerum naturae opus, & rerum ipſa natura*.

His adjungendus eſt Varro, qui doctrinam omnem de Diis ad naturalem ſcientiam revocavit, ac Deum Mundum eſſe, ſeu illius animam, quae

Q 4

(a) *Hiſtor. Nat. Lib. II. cap. I.*

quae motu ac ratione Mundum gubernat, arbitratus eſt: ut ex ejus operum reliquiis colligitur, quas in *Libris de Civ. Dei* nobis tranſmiſit Auguſtinus.

Quae cum ita ſint, adeo Pantheiſmum apud veteres pervulgatum fuiſſe ajunt, ut tot fere magiſtros, quos ſibi imitandos proponeret, Spinoza habuerit, quot olim fuere Philoſophi. Quod quidem proſecuti ſunt Joannes Franciſcus Buddeus (*a*) aliique, & potiſſimum Petrus Baylius, qui omnes induſtriae ac eloquentiae ſuae nervos contendit, ut praeſtantiſſimos veteres Philoſophos impietatis in Deum nota inureret: omneſque fere, qui de uno rerum principio locuti ſunt, Spinozae delirationibus facilem viam muniiſſe criminaretur. Verum acutiſſimus homo, ut κριτικῶς advertit Moshemius (*b*), *miſcet omnia, disjungit componitque pro lubitu, poteſtates vocabulorum mutat, veterum praecepta ex ſuo ſenſu interpretatur, obvium quodlibet arripit, & eloquentia non mediocri exornat, modo voto ſuo potiatur, idque probabile faciat, quod probabile videri voluit*. Hujuſmodi criminationes a veteribus Philoſophis repellere abſtinemus, cum id muneris quamplures recentiores eruditi ſtrenue obiverint; atque huic argumento, quae in Hiſtorica Synopſi delibavimus, lucem aliquam affundere poſſint.

Verum quaecunque fuerit Pantheiſmi origo, is quidem altiores radices egit, & Philoſophici ſyſte-

(a) *De Spinoziſmo ante Spinozam, in Theſibus de Atheiſmo & Superſtit.*

(b) *Ad Syſt. Int. Cap. IV. §. XXVII. n.* 31.

ſyſtematis veluti fundamentis conſtitutus caput extulit opera Benedicti Spinozae, cujus ita ille proprius & peculiaris eſt, ut ex ipſo *Spinoziſmus* ſit nominatus. Hic enim aſpectabilem rerum univerſitatem ex immenſa cogitatione atque extenſione veluti duobus attributis conflatam Deum eſſe docet .. Impium autem hujuſmodi dogma ea propoſitionum ſerie exponemus, quas hac atque illac ſparſas ſuo praeſertim *Ethices* operi Spinoza admiſcet.

1. Aliquid in praeſens exſiſtit; aliquid igitur olim exſtitiſſe oportet; quippe e nihilo nihil. Id autem aeternum eſt, neceſſarium, atque independens.

2. Hujuſmodi Ens talem exſiſtentiam habet, ut ubicunque ſit. Aeternum enim eſt, atque independens; nihil igitur fingi poteſt, quod certis loci aut temporis limitibus illud circumſcripſerit.

3. Hoc igitur Ens eſt quidquid exſiſtit; quippe illud immenſitate ſua ubicunque exſiſtit.

4. Ergo unica univerſalis ſubſtantia eſt, quae totam rerum univerſitatem conſtituit.

5. Haec ſubſtantia aliam creare nequit; nuſquam enim ea locari poteſt: cum ſint illius ſubſtantiae omnia plena.

6. Duo in rerum univerſitate obtinent, Cogitans atque Extenſum. Univerſalis igitur haec ſubſtantia extenſa eſt, & cogitans.

7. Omnis igitur materia, atque omnis cogitatio in hujus Subſtantiae immenſitate comprehenſa continetur.

8. Nihil extra hanc Subſtantiam eſt, neque ipſa niſi

niſi in ſeipſa verſatur. Ergo in ſeipſa, atque in ſeipſam agere poteſt. Nimirum quaelibet illius actio extra ipſam non egreditur: atque ad ipſam veluti ad proprium terminum reſpicit.

9. Peculiares quaeque Subſtantiae hujuſce Entis attributa ſunt, ſive proprietates.

10. Proprietates vero neceſſariae; ſecus enim non eſſet univerſalis ſubſtantia, ſed particularis, cujuſmodi ſunt ceterae omnes.

11. Qui autem modi in Univerſo mutationibus ſubjiciuntur, effectus ſunt proprietatum ejuſdem.

12. Hujuſmodi proprietates partium nomine appellandae non ſunt; quippe Infinito partes repugnant. Modos igitur, non partes admittit Infinitum.

13. Hoc Infinitum tum in ſeipſo quantum quantum eſt agit, tum etiam in ſingulis agit. Cogitat quidem in cerebro, lucet in Sole, vivit in univerſa natura. Hinc variis donatur nominibus, prout diverſas ſubit modificationes; non ſecus ac unus idemque Oceanus ex oris, quas alluit, plures denominationes deſumit.

14. Ab omni aeternitate hoc Infinitum cogitat, & cogitando vivit.

15. Hinc aeterna haec Intelligentia cauſſa eſt ordinis, quo rerum univerſitas componitur.

16. Intelligentia igitur & Materia ſimul conjunctae rerum univerſitatem, h. e. Deum conſtituunt.

17. Ergo haec una eademque Subſtantia per modum Cogitationis in Extenſionis, ſive Materiae modum agit: atque operando conſtituit Univerſum.

18.

18. Hoc igitur Univerſum eſt totum quoddam, quod ſeparari nequit.

19. Quidquid tandem in eo ex ipſo proficiſcitur, aeque, ac illud, neceſſarium eſt.

Hactenus Spinoza, cujus ſyſtema ſic a nobis expoſitum eſt, ut ab his ipſis, qui eam diſciplinam probant, non ſoleat accuratius explicari. Illius haec ſumma eſt: 1. Unicam duntaxat Subſtantiam in Univerſo obtinere: 2. Subſtantiam hanc Deum eſſe: 3. Quaslibet particulares ſubſtantias Dei ipſius eſſe modificationes. Quae quidem diſcutienda, ac refutanda proxima Propoſitione aggredimur.

PROPOSITIO. *Spinozae Syſtema ambiguae Subſtantiae notioni innixum claudicat, pugnantia ſecum componit, & pluribus abſurdis ſcatet.*

Demonſtratur pars prima. Totius Spinoziſtici Syſtematis baſis eſt *Subſtantiae* definitio, quae Spinoza docente id exprimit, *quod in ſe exſiſtit, quod per ſeipſum mente concipitur*. Atqui fundamentum hoc convellit ipſa definitionis explicata ambiguitas. Mole igitur ruit ſua hoc fundamento excitatum ſyſtema.

Ita quidem ratiocinatur Spinoza. Modificationis vocabulo ea ſubjicitur notio, ut quaedam res ſit, quae in alia exſiſtit, & quae propterea per ſe ipſa animo comprehendi nequit, niſi res ipſa, cui inhaeret, concipiatur. Subſtantia igitur, quae modificationi adverſatur, rem exprimit, quae in ſeipſa exſiſtit, & quam per ſeipſam mente aſſequimur. Atqui quod per ſeipſum concipitur, idem nullam ad aliud Ens relationis

ideam

ideam complectitur. Secus enim comprehendi non poſſet, niſi & illud animo complecteremur: veluti pars ſine totius idea, aut effectus ſine cauſſae notione comprehendi nequit. Subſtantia igitur ita eſt, ut a ſe & per ſuam eſſentiam exſiſtat. Sed una duntaxat in rerum univerſitate ſubſtantia hujuſmodi characterem praeſefert, & quae propterea Deus eſt. Unica igitur ſubſtantia exſiſtit.

Verum arguta vocum ambiguitate fallere amat Spinoza. Quod enim *in ſeipſo exſiſtere, per ſeipſum concipi* dicitur, duplici ſententia, quarum una ab altera longe abhorret, accipi poteſt. Primo exprimit id, quod ita exſiſtit, ut propriae exſiſtentiae rationem in ſeipſo complectatur; cujus exſiſtentia in idea, quae de illo nobis obverſatur, includitur; quod tandem ut exſiſtat, alio Ente non indiget. Deinde in ſeipſo exſiſtere dici & illud poteſt, quod ſeorſum ab aliis exſiſtit; quod re alia non eget, ut ipſi inhaerendo exſiſtat.

Jam porro ſi priori notione Subſtantiae vocabulum uſurpetur, nihil profecto diſcriminis inter Subſtantiam, ac Deum intereſt. Deus enim eſt, qui a ſeipſo exſiſtit, & cujus exſiſtentiae ratio in ipſius eſſentia comprehenditur. Quo ſane pacto una erit Subſtantia, cui hujuſmodi nomen proprium eſt, nimirum Deus. At ſi Subſtantiae nomen eo ſenſu accipiatur, ſcilicet ut exprimat quodcunque alia re non indiget, cui veluti ſubjecto inhaereat, totidem profecto ſubſtantiae in praeſenti Univerſitate verſantur, quot nimirum res ſeorſum ab aliis exſiſtunt.

Haec ſane Subſtantiae notio ex ipſa modifica-

tionis idea proficiſcitur, unde ambiguitatem omnem arceſſit Spinoza. Modus enim Spinozae illud eſt, quod in re exſiſtit, quodque ſine re, cui ineſt, concipi nequit. Ea igitur erit Subſtantia, qua in alia re non inhaeret, quae ſeorſum ab aliis animo comprehenditur. In his autem immorari pudet, quae & ipſi Logicae tirones norunt.

Demonſtratur pars altera. I. Univerſalis Spinozae Subſtantia Cogitatione atque Extenſione veluti duobus attributis conflatur. Atqui vehementer repugnat, ut in una eademque Subſtantia Extenſio & Cogitatio verſentur. Quae igitur ſecum pugnant componit Spinoza. Tanto enim diſcrimine Cogitationem ab Extenſione ſeparari alibi oſtendimus, ut nullo pacto commune ſubjectum habere queant.

II. Verum in ipſa cogitationis atque extenſionis affinitate, quam fingit Spinoza, ſecum pugnat totum ſyſtema. Nam cogitatio, Spinoza docente, eſſentialis Dei modus eſt, quique ab ipſo ſeparari nequit. Ubique igitur cogitatio verſari debet, qua late patet Dei extenſio. Si qua enim materiae pars eſſet, quae cogitatione deſtitueretur: profecto neque eſſentialis, neque neceſſarius modus eſſet Cogitatio; & Spinozae Deus ſui ipſius membro veluti torpore correpto laboraret. Singulas igitur materiae partes Spinoziſtici ſyſtematis lege cogitare ſtatuendum eſt. Atqui non in omnibus materiae particulis, ſed in certis quibuſdam partibus per modum cogitationis modificatis cogitat Spinozae Deus. Igitur a ſe ipſe diſſentit Spinoza, ſecumque diſcordat.

De

Demonſtratur pars tertia. Univerſas proprietates, quae divinitatem ſequuntur, adeo Spinozae ſyſtema ſubvertit, ut Dei Spinoziſtici idea indigna plane ſit, quae ſupremo Enti tribuatur. Abſurdum igitur eſt Spinozae ſyſtema.

Et I. ſimpliciſſimus Deus eſt, atque idem individuus. Hac autem proprietate Spinozae Deus deſtituitur. Is enim duobus eſſentialibus attributis, ſive potius binis Subſtantiis, Extenſione ſcilicet & Cogitatione componitur. Atqui hae Subſtantiae altera ab altera divelli poſſunt; quin etiam quaevis ipſarum in ſubſtantias varietate innumerabiles dividi poteſt, ac reapſe dividitur, quae ſeorſum ab aliis per ſe conſiſtunt. Deus igitur, quem fingit Spinoza, in totidem partes dividuus eſt, quot nimirum peculiaribus Subſtantiis rerum univerſitas componitur.

Neque aliquid Spinozae ſuffragatur nimis illa affectata diligentia, ut *partium* voce abſtineat, ac *modificationum* vocabulum uſurpet; cujuſmodi eſſe ſingulas quaſque Univerſi creatas res perſuadere cupit. Numquid enim mutatis vocabulis rerum notiones commutari poſſunt? Quos Univerſi, ſive Dei modos Spinoza appellat, ipſas omnino Univerſi partes intelligit, unde illud conflatur. Rerum enim univerſitas ut totum quoddam ab ipſo Spinoza concipitur; ea igitur, unde coaleſcit, niſi ut totius partes concipi minime poſſunt.

Re enim vera diverſae modificationes partium diſtinctionem aperte demonſtrant. Modus enim, ut docent Logici, non eſt, niſi *τῦ ἄνου eſſendi* ratio, qua ſubſtantia exſiſtit. Binae igitur modificationes, quae inter ſe diſcrepant, ſubſtantias, qui-

quibus inhaerent, diſtinctas eſſe prae ſe gerunt. Nemo quidem eſt, quin agnoſcat figuram ſphaericam, & cylindricam in eodem corpore ſimul locum habere non poſſe. Diverſae igitur Subſtantiae ſint oportet; quarum una cylindricam, altera conglobatam figuram exhibet. Quot igitur diverſae obtinent modificationes in Univerſo, totidem ſubſtantiis conflatur Extenſio.

Quod ſi alteram modificationem, quam Univerſo adſcribit Spinoza, Cogitationem, inquam, inſpiciamus; profecto in infinitas partes dividuus erit Spinozae Deus. Singulae enim Mentes quam ſaepe, quam diu, quam vehementer aliae ab aliis, atque eaedem a ſeipſis diſcrepant! Et in ſingulis Mentibus cogitationes quam perennes aliae aliis ſuccedunt, aliae alias ſubvertunt, & ſecum ipſae diſſentiunt! Univerſalis igitur cogitatio, quae Dei modus eſt, in infinitas partes diſtrahitur. Atqui Dei ſimplicitas cum tot tantiſque diviſionibus componi nequit. Ergo.

II. Deum immutabilem fatetur Spinoza: at idem perennes viciſſitudines ſubire Deum conſtituit. Quidquid enim extenſum eſt, quidquid cogitat, ſi ſingillatim ſeu *diſtributive* accipiatur, Dei modus eſt; ſin univerſe, ſeu *collective*, totam Dei eſſentiam exprimit: quod eſt Spinozae dogma. Atqui mutationes, quibus tum Cogitans, tum Extenſum ſubjicitur, perennes ſunt, & multitudine ac varietate innumerabiles. Summa igitur inconſtantia & mutabilitas Spinozae Deum occupat.

III. Perfectiſſimus Deus eſt. Atqui ipſa Cogitationis atque Extenſionis compoſitio maximam in

Deo imperfectionem arguit. Cum enim unica ſubſtantia aſſequi non poteſt, ut omni ratione perfectum ens conſtituat, ſe imperfectam eſſe demonſtrat. Imperfectum igitur Deum admittit Spinoza, quem Cogitatione atque Extenſione componi tuetur.

IV. Tandem Spinozae Deus maxime adverſantes repugnantias complectitur. Variae enim modificationes, quas Spinoza docente in ſe ſuſceptas Deus habet, omnino poſtulant, ut ipſe ſimul honeſtiſſimus ſit, ac flagitioſiſſimus: beatiſſimus aeque, ac miſerrimus: ſapientiſſimus, atque idem ſtultiſſimus. Nihil igitur Spinozae Deo abſurdius fingi poteſt.

Objicit I. Spinoza. Subſtantia ab alia produci nequit. Unica igitur oportet, ut ſit in rerum univerſitate ſubſtantia. Antecedentis Propoſitionis veritas ita demonſtratur. Si Subſtantia aliam gignere poſſet: quae produceretur, aut eſſet ejuſdem attributi, atque illa: aut nihil cum ea commune haberet. Eodem attributo praedita eſſe nequit. Duae enim aut plures Subſtantiae ejuſdem attributi in rerum natura exſiſtere non poſſunt; quippe omnes unam omnino ſubſtantiam conſtituerent. Si nihil ipſi cum illa ſit commune, ab ea oriri non poteſt; nemo enim dat, quod non habet. Subſtantia igitur ab alia proficiſci nequit.

Reſp. Fallaces hujuſmodi concluſiunculae, quibus delectatur Spinoza, levi brachio refutantur. Ut enim advertit Petrus Bayle (*a*), *quicunque Philoſophiae rudimenta tradunt, inter prima praecepta*

(a) *Diction. Hiſtor. Crit.* v. Spinoza *Remarque P.*

cepta ſuos docent, *quid haec ſibi velint*, genus, ſpecies, individuum. *Hoc igitur pacto diſtinguendum erit* : Non poſſunt dari plures ſubſtantiae ejusdem *numero* naturae ſive attributi, concedo : ejuſdem *ſpecie* naturae ſive attributi, nego. *Quid ad haec Spinoza? Nam & in ſuis modificationibus ea doctrina & ipſe utatur oportet. Homo, ut ipſe philoſophatur, modificationum mundi ſpecies eſt : ejus ſpeciei individuum Socrates. Erit ne Spinoza, & Judaeus, qui ſtricto gladio eum aggreſſus eſt, unus idemque hujus ſpeciei modus?* Et ſane ſi plures ſubſtantiae idem attributum ſecum commune habere non poſſunt ; neque plures eſſe poterunt ejuſdem attributi modificationes. Atqui Cogitationis, atque Extenſionis innumerabiles eſſe modificationes ſtatuit Spinoza. Adeo ſophiſtes ſecum ipſe repugnat!

Objicit II. Deus eſt infinitus, atque infinitis conſtat attributis. Quod autem infinitis exornatur attributis, quidquid eſt, quidquid eſſe poteſt, in ſe complectitur ; omnem ſcilicet *ὀντότητα realitatem* abſorbet. Ergo Extenſionem & Cogitationem comprehendit. Rerum igitur univerſitas Cogitationem atque Extenſionem complexa Deus eſt.

Reſp. Quidquid eſt, & quidquid entis rationem habet, in ſe Deus complectitur ; eſt enim immenſum quoddam Eſſentiae pelagus. Nihil autem admittit, niſi omni prorſus imperfectione remota : & quodcunque in creatis rebus imperfectum adeſt, ſublimiori duntaxat vi quadam ac *δυνάμει* ſeu *eminenter* comprehendit. Univerſas nimirum *τοῦ εἶναι eſſendi* rationes per ſingulas rerum ſpecies

diſperſas excellenti in ſe ratione complectitur. Igitur ex creatis rebus deſumptae proprietates, quae vel ab omni parte non ſint perfectae, vel cum perfectione pugnent, non inſunt Deo, ut ajunt *formaliter*, ſed *eminenter:* nimirum ex omnibus ſincerae quaedam exprimendae ſunt notiones, atque omni imperfectione ſpoliatae Deo adſcribuntur (*a*).

CAPUT III.

Confutatur Polytheiſmus.

PRimam Polytheiſmi originem definire operoſa res eſt. Eam ex pura verborum ambiguitate profectam eſſe nonnulli arbitrantur. Cum enim humanae Mentis acies infinitarum Dei perfectionum luce perſtricta, eas uno veluti obtutu contemplari non poſſet: ſecerni illae ab hominibus ac ſeparari coeperunt. Hinc tanta minorum Deorum copia proſiluit, quantus nimirum Divinarum per-

(a) *His quae diximus poteſt lucem aliquam affundere Auguſtini locus Tract.* 1. *in Joann. num.* 16. *ut enim explicaret illud*: Quod factum eſt in ipſo vita erat: *ait*: Quid eſt hoc? facta eſt terra, ſed ipſa terra, quae facta eſt, non eſt vita: eſt autem in ipſa ſapientia ſpiritaliter ratio quaedam, quâ terra facta eſt, haec vita eſt. *Sed lege quae ſequuntur num.* 17. *artificis enim exemplo arcam conſtruentis eamdem rem mirificeilluſtrat.*

perfectionum numerus humanae Menti videbatur. Hiſce primum initiis ducta Idololatria, altiores deinde radices jecit Poëtarum praeſertim licentia, qui confictis fabulis Deorum ſuperſtitionem auxerunt.

Verum aliis πολυθεότητος (*Deorum multitudinis*) origo inde repetenda videtur, quod cum veteres Deum eſſe ſpiritum per univerſam rerum naturam diffuſam opinarentur, ſingulas ejuſdem partes, tanquam unius Dei membra, eſſe divinis honoribus colendas duxerunt. Inde inſana illa Deorum multitudo exordium ſumſit. Inde etiam factum eſt, ut variae Mundi partes, reſque naturales Dei veluti ſpeciem indutae Deorum, ac Dearum nominibus honeſtarentur.

Haec ſane de Polytheiſmi origine ſententia quamvis non paucos magni nominis viros, ac praeſertim Cudworthum (a) auctores habeat: nonnulla tamen complectitur, quae aliis non apte ſecum cohaerere videntur. Plura quidem exhibet Moshemius (b), quibus ipſe ductus huic opinioni adhaerendum non eſſe exiſtimat. Quod vero advertere juvat, illud eſt, hanc eamdem fuiſſe veterum Stoicorum ſententiam, qui ut popularem religionem ſuis dogmatis accommodarent, naturales Deorum multitudinis cauſſas rimari ſtuduerunt.

Balbus quidem e Stoicorum grege apud Cicero-

(a) *Syſt. Intell. Cap. IV. §. XVIII. & XXXII.*
(b) *N. 158. ad cit. loc.*

ſonem (*a*) in eo totus eſt, ut oſtendat *ex phyſica ratione magnam fluxiſſe Deorum multitudinem, qui induti ſpecie humana fabulae Poetis ſuppeditaverunt, hominum autem vitam ſuperſtitione omni referſerunt*. Id autem poſtquam Cleanthis & Chryſippi verbis explicaverit, tandem perorat: *Videtiſne igitur, ut a phyſicis rebus . . . tracta ratio ſit ad commenticios & fictos Deos?* Tum deinde ſubdit: *Sed tamen his fabulis ſpretis ac repudiatis, Deus pertinens per naturam cujuſque rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alii per alia poterunt intelligi*.

Verum Stoicae hujus interpretationis levitatem & ipſi veteres deprehenderunt. Idem enim Tullius (*b*) Cottam Balbi diſputationem refellentem inducens deridet eam Stoicorum de Diis ſententiam. *Cum* enim, ait, *fruges Cererem, & vinum Liberum dicimus; genere nos quidem ſermonis utimur uſitato. Sed ecquem tam amentem eſſe putas, qui illud, quo veſcatur, Deum credat eſſe?* Deinde longe ſerpere hanc Stoicorum ſententiam ſubnectit. *Si* enim *Luna Dea eſt; ergo etiam Lucifer, ceteraeque errantes numerum Deorum obtinebunt; igitur etiam inerrantes . . . Quod ſi nubes retuleris in Deos; referendae certe erunt tempeſtates. Ergo imbres, nimbi, procellae, turbines Dii putandi*.

Jamdudum ante Moshemium praeſtantiſſimi Reip. Chriſtianae vindices ac potiſſimum Euſebius

(a) *Lib. II. de Nat. Deor. cap. XXIV. & ſeqq.*

(b) *Lib. III. de Nat. Deor. cap. XVI.*

bius (*a*) binas expoſitas ſententias veluti irritos Idololatriae conatus, quibus Deorum cultus ſuſtineretur, ſolidiſſimis argumentis everterant: Ipſe enim ait id primum Ethnicos commentos eſſe, ex eo nimirum Polytheiſmum ſuam arceſſere originem, quod Ens infinitum neque unius nominis ambitu concludi, neque ſub una eademque imagine poſſet apte deſcribi. Hinc univerſa Numina nihil prorſus eſſe docebant, niſi meras voces, quae aliquam ex divinis perfectionibus deſignent.

Verum ſi ita ſe res habeat, cur tam accurate apud ipſos Deorum contexuntur generationes? Num quia divinae proprietates aliae ex aliis procreatae ſibi invicem ſucceſſerunt? Praeterea undenam repetendas cenſebimus lites, diſcordias, graveſque contentiones, quae inter Numina excitatae quandoque non ſine vindice poena compoſitae ſunt? An ex eo, quod Dei attributa magno veluti turbante tumultu acerrime inter ſe depraeliantur? Tandem quiſnam impudicos amores, totque amantium iras in caelum invexit? Nempe perfectiſſimi Entis perfectiones mortalium vitiis foediſſime commixtae, inde turpiter commaculatae diſceſſerunt.

Sed quoniam Ethnica ſuperſtitio nihil hic diffindere poterat, aliud excogitavit ſyſtema, atque allegorias veluti caecas nubes ſuis fraudibus objecit. Nimirum Deos omnes non eſſe, niſi rerum naturae elementa, ut Stoicorum fert ſententia.

At impiam prorſus eſſe ſymbolicam hanc Theo-

(a) *Praepar. Evang. Lib. II. & III.*

logiam advertit Euſebius. Ita enim ſingulae res creatae, atque inanimae, Creatore veluti e ſua ſede deturbato, illius in locum ſucceſſiſſent, ac divinos ſibi honores vindicaſſent.

Quamobrem ut Polytheiſmi exordium ſtatuatur, non unam invectae πολυθεότητος (*Deorum multitudinis*) cauſſam eſſe dixerim: ſed partim ex depravatis animi cupiditatibus, partim ex confictis Poëtarum fabulis, partim denique ex populi favore, qui primos urbium conditores, alioſque heroas ſacro ritu coluit, & honore Deorum conſecravit, illius origo repetenda videtur. Et ſane pleroſque Deos, quos veteres coluerunt, homines fuiſſe, aperte oſtendunt, quae de rebus ipſorum geſtis memoriae mandata accepimus. Jam id adverterat Tullius (*a*). *Si ſcrutari vetera, & ex his ea, quae ſcriptores Graeciae prodiderunt, eruere coner: ipſi illi majorum gentium dii, qui habentur, hinc a nobis profecti in caelum reperientur.*

Verum quaecunque ſuperſtitioſae πολυθεότητος (*Deorum multitudinis*) apud Ethnicos origo fuerit: qui μονάδος ſive *unitatis* charactere divinitatem exſpoliaverunt, potiſſimum recenſendi ſunt ii, qui duas naturas originis expertes, alteram bonorum omnium, alteram malorum fontem profitebantur. Impia hujuſmodi dogmata, quae magno Eccleſiae detrimento Manichei, ac Marcionitae diſſeminarunt, longe antiquiorem aetatem praeſeferre in explorato eſt apud Eruditos. Plutar-

(a) *Lib. I. Tuſcul. cap. XIII.*

tarchus quidem Chaeronenſis (*a*) eam opinionem, quae duos eſſe Deos perhibet, quaſi contrariis deditos artibus, quorum alter bona, alter mala opera conficiat, vetuſtiſſimam eſſe ait: atque huic tum Perſarum Magos, tum bonam Graecorum Philoſophorum partem adhaeſiſſe arbitratur. Nonnulla in hanc rem diximus in *Hiſtorica Synopſi*; & Platonis ſyſtema, cui potiſſimum hanc ſententiam adſcribere contendit Plutarchus, ibidem delibavimus.

Illud igitur planum modo faciendum ſupereſt, unum tantummodo, non plures eſſe Deos. Id autem facile effici poteſt. Quae enim argumenta Deum eſſe evincunt, eadem non uno plures poſſe Deos eſſe demonſtrant.

PROPOSITIO. *Deus unus eſt.*

Demonſtratur I. Quod ab aeterno exſiſtit, naturae neceſſitate exſiſtere ſuperius docuimus. Atqui ab exſiſtendi neceſſitate unitas Entis, quod neceſſario exſiſtit, aperte colligitur. Ergo.

Nam 1. Omnis exſiſtentiae varietas ab exteriori cauſſa proficiſcitur, a qua Ens pendet, qualis nimirum eſt ipſius cauſſae efficacitas. Atqui quod neceſſario exſiſtit, ſuae exſiſtentiae rationem in ſui ipſius eſſentia complectitur. Exſiſtendi igitur neceſſitas ſimplex eſt, & cujuslibet varietatis expers. Ergo unum omnino eſt, quod neceſſitate naturae exſiſtit.

2. Quod naturae neceſſitate exſiſtit, non modo ita eſt, ut qualemcumque, unde pendeat, cauſſam excludat; verum etiam ut cujuslibet rei

R 4 non

(a) *Lib. de Iſid. & Oſir. & Pſychogonia.*

non exſiſtentia poſſibilis ſit, neque repugnet. Atqui quodcunque ita concipi poteſt, ut fieri poſſit, quominus exſiſtat, neceſſitate naturae non exſiſtit. Neceſſariae igitur exſiſtentiae ratio unitatem Entis, quod ita exſiſtit, ſecum complectitur.

II. Quod neceſſitate naturae exſiſtit, infinitum eſt ac perfectiſſimum. Si plures igitur eſſent Dii, plura eſſent perfectiſſima. Id autem prorſus repugnat. Ergo.

Nam 1. infinitum omnem *τῦ εἶναι eſſendi* plenitudinem complectitur. Atqui univerſa *ἐντότης entitas* in uno duntaxat contineri poteſt. Ergo. Entia quidem contingentia multiplicari poſſunt, quippe ſingula certos quoſdam entitatis gradus complectuntur.

2. Haec Entia perfectiſſima utcunque differrent. Singulis igitur ineſſet, quo alia deſtituerentur. Atqui quod Deo proprium eſt, perfectiſſimum eſſe oportet. Ergo quodlibet illorum abſoluta perfectione carebit.

3. Omnes illi in unum collecti & coagmentati Dii aliquid melius ac perfectius efficient, quam ſinguli. Quare quilibet eorum perfectiſſimus non erit; neque igitur Deus.

III. Deus ejuſmodi eſt, ut omnia poſſit, atque a nullo pendeat. Jam ſi duo eſſent Dii, aut alteruter alteri praecelleret, aut neuter ab altero penderet. Si primum ſumitur, horum ille Deus erit, qui eminet, excellitque alteri. Sin poſtremum, nullus eſſet omnipotens; neque igitur Deus.

IV. Si uno plures Dii ſunt admittendi, infiniti

niti potius, quam certo numero circumſcripti ſint oportet. Divinitati enim repugnat quodcunque finitum. Aut igitur unus Deus eſt: aut ſi numerus divinitati convenit, is infinitus ſtatuendus eſt.

V. Maximum unius Dei argumentum eſt intimum illud ac tacitum teſtimonium, quod ſuus cuique dicit animus, licet vanis Deorum ſuperſtitionibus occupatus. Id Ethnicis primos noſtrae Religionis vindices objeciſſe accepimus, eo nimirum ipſos inſtinctu naturae ferri, ut unicum Deum ſponte faterentur. *Audio vulgus*, ait Minutius (*a*), *cum ad caelum manus tendunt, nihil aliud, quam Deum dicunt: & Deus magnus eſt, & Deus verus eſt; & ſi Deus dederit. Adeo ipſa veritas*, ut Lactantii (*b*) verbis utamur, *cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit!*

VI. Quid quod & nationum omnium conſenſus Deum unicum eſſe praedicat? Ipſos enim Ethnicos, quamvis inſana Deorum multitudine abundaverint, unum tamen ſummumque Deum a ceteris omnibus minorum gentium Diis diſtinxiſſe quamplures veteres, ac recentiores demonſtrarunt (*c*). Cujus quidem rei argumentum eſt,

(a) *In Octavio.*

(b) *Divin. Inſtit. Lib. II. cap. I.*

(c) *Auguſtinus quidem contra Fauſtum Manich. lib.* XX. *cap.* 19. *id adverterat*: Diſcat Fauſtus, vel potius illi, qui ejus litteris delectantur, Monar-

eſt, tum quod vulgares precandi atque obteſtandi formulae Jovem aut Deum a ceteris Diis diſtinctum praeſeferrent: tum etiam quod Jupiter ſive ſupremus Deus *hominum*, *divumque pater* paſſim ſalutaretur. Atque id tam multis, tam docte proſecutus eſt Cudworthus, ut velle ceteris, ſibi certe perſuaſiſſe videatur (*a*).

Quae hactenus argumenta protulimus, ut uno plures non eſſe Deos demonſtrant, ita praeter bonum auctoremque boni Deum, malum alterum malique principium prorſus oppugnat. Verum Dualiſtas, qui bina nimirum principia tuentur, ſingillatim refellere juvat.

I. Si duo eſſent Dii inter ſe diſſidentes & contrarii, id ſane obtineret, ut aequalis eſſet amborum tum vis, tum imbecillitas. Infirmus quidem ac imbecillis uterque; cum nec bonus mali conatus cohibere, nec malus boni artes vincere poſſet. At iidem fortes ac virtute praeſtantes. Bonus enim ſeſe tueretur, quamvis repu-

narchiae (*unius nimirum ſummi Numinis cultus*) opinionem nos ex gentibus non habere, ſed gentes non uſque adeo ad falſos Deos eſſe delapſas, ut opinionem amitterent unius veri Dei, ex quo eſt omnis qualiſcunque natura. *Tum et Maximus Tyrius Diſſert.* I. In hoc leges ubique terrarum atque opiniones convenire videbis, Deum eſſe unum, Regem omnium & patrem. Multos additos eſſe Deos alios, qui ſupremi illius filii ſint, & quaſi in imperio collegae.

(a) *Syſt. Intell. Cap. IV. §. XVI. & ſeqq.*

pugnantem pateretur malum: is vero nihil periculi ab inimico bono ſibi metuens illius opera ſubvertere conaretur. Atqui horum neutrum ſalvo divinitatis jure ac nomine admitti poteſt. Ergo.

II. Malum *phyſicum* ac vitium non eſt natura aut ſubſtantia quaedam, ſed naturae accedit, eamque corrumpit. Atqui Deus malorum omnium auctor ὀσιωδῶς *ſubſtantive* malus eſſe perhibetur a Dualiſtis: & talis, ut nihil boni admittat; ejuſmodi igitur eſt, ut nihil ſit. Ergo repugnat, ut Deus natura malus exſiſtat.

Neque hujus argumenti vis elevatur, ſi Deus malorum auctor *relate* duntaxat malus eſſe dicatur. Naturale enim ſtudium, quo Deus iſte homines perdere, ac malis afficere tentat, ad ipſius eſſentiam pertineat oportet. Nimirum natura comparatus eſt, ut omni malorum genere alios peſſumdet. Atqui quod eſſentia ſua malum eſt, *ſubſtantive* quidem malum eſt. Ergo.

CAPUT IV.

De Divinis Attributis.

COmmunis eſt illa apud Theologos Divinarum proprietatum diviſio in *Phyſicas* & *Morales*. Ad primum genus revocant ea attributa, quae veluti formae divinae ſubſtantiae inhaerent, quae Dei ut Entis a ſe propria ſunt, ac peculiaria, quae tandem ipſi ut ſpiritui ſupremo conveniunt.

Ad

Ad alterum autem, quae ut primae omnium cauſſae adſcribuntur: ea nimirum ſunt ipſarum Dei proprietatum manifeſtationes.

§. I.

De Dei Simplicitate.

PRima inter Dei proprietates ſeſe nobis offert ipſius Simplicitas. Simplex porro dicitur quod caret compoſitione & partibus, quae nexae invicem, & conjunctae unum aliquod efficiunt. Quadruplex Compoſitum diſtingui in Ontologicis diximus. Totidem modis Simplex dicitur. Cujuſmodi igitur Deus ſimplex ſit, diſcutiendum.

PROPOSITIO I. *Deus non eſt corporeus: Phyſicae nimirum, & Mathematicae compoſitionis expers eſt.*

Demonſtratur I. Pars naturâ prior eſt eo, quod partibus componitur. Atqui nihil Deo antiquius eſſe poteſt. Cum igitur corpus partibus conſtet, corporeus Deus eſſe nequit.

II. Ea eſt divinitatis excellentia, ut Deo ne fingi quidem excogitarique poſſit aliquid perfectius. Atqui ſi Deus compoſitionis, & partium expers non eſſet, Deo aliquid perfectius eſſet. Ergo.

Omnis quidem compoſitio duabus ſaltem rebus abſolvitur, quarum alterutra neque eſt alia, neque ipſum compoſitum. Atqui quod compoſito partes afferunt, id quidem perfectius eſt, quam compoſitum ipſum. Quamobrem ſi Deus ex iis partibus componitur, quibus ea, quae habet, ac-

accepta refert, minus, quam illae, perfectus erit.

Ita in homine neque corpus eſt anima, neque homo, qui corpore & anima componitur, & ab utroque diſtinguitur. Anima porro ipſa, quae homini fons eſt & origo cogitandi, in hoc quod homini communicat, praeſtantior eſt, quam homo ipſe. Eodem pacto niſi Deus ipſe per ſe ſapiens, bonus &c. eſſet, ſed a partibus haberet, quiddam foret Deo ſapientius, ac melius. Ergo (*a*).

PROPOSITIO II. *Deo repugnat compoſitio Metaphyſica ex eſſentia, & exſiſtentia.*

Demonſtratur. Deus eſt Ens a ſe. Atqui Ens a ſe propriae exſiſtentiae rationem in ſui ipſius eſſentia comprehendit. Nequit igitur in Deo eſſentia cum exſiſtentia compoſitionem inſtituere. Finge enim, Deum componi ab eſſentia atque exſiſtentia: haec quidem ab illa ſeparari poſſet. Deus igitur poſſet non exſiſtere; neque igitur eſſet a ſe.

Et ſane cum eſſentia ſeorſum ab exſiſtentia conſideratur; Ens quidem ut poſſibile inſpicimus, quod ab exſiſtentia, quae accedit, transfertur ad actum. Id autem indignum prorſus eſt, quod in exſiſtentia neceſſaria concipiatur; cujuſmodi exſiſten-

(a) *Id quidem docte proſequitur Auguſtinus oſtendens, quod niſi Deus ſua ipſe magnitudo, ſua ipſe bonitas, ſua ipſe omnipotentia &c. eſſet, magnus profecto, bonus, omnipotens eſſet per aliquid aliud, quod non eſt ipſe. Id autem, cujus participatione magnus, bonus &c. eſſet, majus eo eſſet ac melius. Videſis* lib. V. De Trinit. cap. 10. & 11.

ſtentiam Ens a ſe comprehendit. Ergo.

Quamobrem creatos ſpiritus propterea eſſentia & exſiſtentia veluti diſtinctis partibus coaleſcere dicimus, tum quia contingentes ſunt; tum vero quia eorum eſſentiae *intelligibiles* reapſe ab exſiſtentia phyſica ſeparatae divino intellectui obverſabantur. Nimirum illorum eſſentias ab omni jam aeternitate ſibi praeſentes Deus intuebatur, antequam e nihilo educti in rerum natura verſarentur.

PROPOSITIO III. *Deo repugnat Compoſitio Logica ex genere & differentia.*

Demonſtratur I. Deus definito generi Entis non ſubjicitur: ſed totum ipſum, qua late patet, ſimpliciſſima ſua Eſſentia comprehendit atque exhaurit. Nullum igitur de eo *praedicari* poteſt, ut ajunt, Entis genus. Quod autem ſub nullo Entis genere continetur, componi nequit ex genere & differentia. Ergo.

II. Ratio generis Deo repugnat. Ergo etiam compoſitio ex genere & differentia. Genus enim prae ſe oſtendit ideam Entis non determinati; quod per differentiam in certa ſpecie definitur. Eſt igitur Ens quod contrahi, circumſcribi, determinari poteſt; propterea finitum ipſum, ac limitatum. Atqui repugnat, ut Entis finiti genus Deum complectatur. Ergo.

III. Quodcunque ex genere & differentia componi dicitur, in eo gradus quoſdam eſſentiae quaſi diſtinctos intelligimus; quorum alius communis ſit cum ceteris formis, quas idem genus complectitur: alius proprius, quo ab illis diſtat. Atqui idea Entis, quae Dei peculiaris eſt, com-

mu-

munis nequit eſſe cum rebus creatis. Nullam igitur in Deo compoſitionem ex genere & differentia concipere licet.

§. II.

De Dei Immutabilitate.

IMmutabile dicitur, quod ſui ſtatus mutationem nec ſubit, nec ſubire poteſt ſive exterioris cauſſae viribus, ſive interiori ratione.

PROPOSITIO. *Deus eſt immutabilis.*

Demonſtratur I. Deus ſimplex eſt; ergo immutabilis. Quod enim mutationi ſubjicitur vel eſt compoſitum, vel fuit: eſt quidem, ſi quid illi accedat, quo deſtituebatur; fuit vero, ſi quid ipſi eripiatur, quod antea habebat. Atqui compoſitionem omnem reſpuit Dei natura. Ergo.

II. Deus eſt Ens a ſe: cujuſcunque igitur variationis neſciam habet eſſentiam; univerſam enim *τῦ εἶναι eſſendi* rationem complectitur, quod a ſe eſt, ac nullam propterea mutationem experiri poteſt (*a*).

III. Deus eſt infinitus, ſummae nimirum abſolutaeque perfectionis rationem omnem exhaurit:

Mi-

(a) *Hujuſmodi argumentum proſequitur Auguſtinus* Lib. XI. Confeſſ. cap. 4. *cum ait*: Ecce ſunt caelum & terra: clamant quod facta ſunt: mutantur enim, atque variantur: quidquid autem factum non eſt, & tamen eſt, non eſt in eo quidquam, quod antea non erat, quod eſt mutari atque variari.

Minui autem vel augeri nequit infinitum; neque ergo mutari (*a*).

IV. Si qua mutatio in Deo locum habere poſſet; ea quidem vel ab ipſo Deo, vel ab alio proficiſceretur. Non ab alio, quia a nullo pendet, & nihil eſt Deo praeſtantius. Non ab ipſo Deo. Quidquid enim a ſeipſo mutatur, vel in melius, vel in deterius mutatur. Ex boni inſcitia fit, ut quid in deterius ſeſe mutet. In melius vero mutatur, quod bonum aliquod, quo deſtituitur, ſibi comparat. Atqui neutrum in Dei ſapientiam ac perfectionem cadere poteſt. Ergo. Utitur hoc argumento Proclus (*b*).

At enim inquies. Mutari dicitur, quicunque opus aliquod, quod agere poteſt, faciendum aggreditur. Nimirum mutationi ſubjicitur, quod a potentia tranſit ad actum. Atqui Deus, qui per infinitam aeternitatem nihil condidit, cum creare utique poſſet, reipſa coepit agere. Mutaſſe igitur ſtatum Deus videtur.

Verum Mundi creatio & rerum efficientia nihil in Deum mutationis refundit. Ea enim eſt terminus actionis divinae, ad quam non novum, ſed ſempiternum adhibuit conſilium. Nam tria in Mundi creatione, quam Deus inſtituit, diſtinguere licet, creandi voluntatem, creandi actionem,

---

(a) *Ex Gregorio Nyſſeno* Lib.XII. contr. Eunon. *deſumtum eſt argumentum*, *qui docet*, neque majorem neque minorem acceſſione vel deceſſione fieri Deum, quippe incrementum illud, quod in majus fit, in infinito locum non habet.

(b) *Comment. in Remp. Plat.*

nem, & opus ipſum creatum. Priora ab omni aeternitate in Deo fuerunt; poſterius, quod antea non fuerat, de novo evenit. Nimirum voluntas, & actus aeternus intendit in terminum tempore ponendum. Omnis igitur mutatio in rebus ipſis conditis verſatur, quippe quae prius non erant, quamdiu non fuerunt; & poſterius fuerunt, quando eſſe coeperunt. Conſulatur Auguſtinus *Lib. II. De Civ. Dei cap.* 17.

§. III.

De Infinitate, & Immenſitate Dei.

INfinitatem nihil eſſe revera, quam *perfectionem* in Ontologicis explicavimus. Nimirum infinitas illa, quae Dei propria eſt, cum abſolutiſſima perfectionum omnium complexione conjungitur: adeo quidem ut nec ulla virtus abſit, ſed omnes complectatur, nec cuique virtuti ulla vel minima poſſit acceſſio fieri. Quod quidem *intenſive*, & *extenſive* perfectum dicitur in Scholis.

Infinitati adnectitur Immenſitas, quippe quemadmodum illa a Dei perfectionibus, ita haec ab illius eſſentia fines omnes amovet atque excludit. Nimirum immenſitas eſt infinita Dei virtus, qua ipſe intime praeſens eſt rebus omnibus exſiſtentibus.

PROPOSITIO I. *Deus eſt infinitus ſecundum eſſentiam.*

Demonſtratur I. Si divina eſſentia finita eſſet, id quidem vel ab exteriori cauſſa proficiſceretur, quae illius eſſentiam circumſcripſiſſet; vel ab ipſius

eſſentiae natura circumſcripta oriretur. Atqui ratio Entis a ſe τοῦ εἶναι *eſſendi* plenitudinem complectitur. Ergo. Ens enim a ſe cauſſam omnem, unde limitatam eſſentiam recipiat, prorſus excludit: tum etiam cum exſiſtat neceſſitate naturae, quacunque ratione eſſe exigit: propterea exigit omne eſſe.

II. Deus res omnes e nihilo eduxit, quod infinitae potentiae opus eſt. Atqui infinita potentia non oritur, niſi ab infinita eſſentia, imo ab ea non ſecernitur. Ergo.

PROPOSITIO II. *Deus eſt abſolute perfectus*.

Demonſtratur. Alibi oſtendimus, Ens a ſe perfectiſſimum eſſe. His adde, quod mutari Deus poſſet, ſi non eſſet ab omni parte perfectus. Ac tandem infinitam Dei perfectionem probat communis illa omnibus Dei notio, quia *ita cogitatur*, ut ait Auguſtinus (*a*), *ut aliquid, quo nihil melius ſit atque ſublimius, illa cogitatio conetur attingere*.

PROPOSITIO III. *Deus certo ſpatio minime definitur, ſed ubique ſubſtantia praeſens eſt*.

Demonſtratur I. Neceſſitate naturae exſiſtit Deus. Quod autem ita exſiſtit, tale eſt & ſemper, & ubique. Cum enim Ens aliquod alicunde abeſſe cogitatione complecti nobis licet: jam fas eſt, illud undique abſens nobis repraeſentare: illud igitur veluti non exſiſtens animo concipere poſſumus. Id autem ab Ente neceſſario longe alienum eſt. Ubique igitur eſt Deus.

II. Deus ubique res omnes perenni quadam effectione producit, conſervat, & movet, ne in ni-

(a) *Lib. I. de Doctr. Chr. cap. VII.*

nihilum, unde eas eduxit, dilapſae recidant. Atqui ubi Deus agens, ibi Deus ſubſtantia praeſens. *In ſimplici* enim, ut ait Baſilius *Lib. V. tract. 9. & corporis experte natura eadem eſt ratio ſubſtantiae & actionis*. Ergo.

§. IV.

De Divina Scientia,

SCientiae vocabulum & Deo, & creatis Mentibus commune eſt. At quammaxime divina ſcientia humanae antecellit. Mens enim 1. a rebus ipſis ſcientiam omnem haurit. 2. A notis ad ignota progreditur: ut quae non omnia, quae in veritatum principiis cognoſci poſſunt, extemplo inſpiciat. 3. Res veluti in partes dividens ſingillatim conſiderat, cum uno obtutu omnes rerum proprietates comprehendere nequeat. Ac tandem breviſſimo cognitionum ambitu concluditur.

Verum haec vitia a Dei ſcientia longiſſime diſtant. Deus enim omnia in ſeſe, & natura ſua cognoſcit; neque ratiocinationis aut praeciſionis ope, ſed ſimpliciſſimo intuitu omnia comprehendit; ac nullis finibus ipſius ſcientia continetur.

Jam vero ea, circa quae divina ſcientia verſatur, praeſtantiſſima ſunt, & longe lateque patent. I. Itaque explorata res eſt, Deum perfecte ſeipſum cognoſcere. Infinita enim eſt divinae Intelligentiae vis, neceſſe eſt igitur infinite intelligibile infinite intelligenti ad intuendum propoſitum eſſe.

II. Dei ſcientia res omnes poſſibiles comprehendit. Suam enim eſſentiam Deus cognoſcit, ſuam virtutem perſpectam habet, ſuam artem optime tenet. Atqui ea ſunt poſſibilia, quae in Dei eſſentia continentur, quibus nimirum *τὸ eſſe* impertiri poteſt; quae Dei virtus efficere poteſt; quorum tandem formas Dei ars producere poteſt. Ergo.

III. Si univerſa, quae fieri poſſunt, Dei ſcientia intuetur; profecto quae ex poſſibilium numero jam educta ſunt, perfectiſſime novit Deus, ſive ea ſint, ſive fuerunt. Nihil eſt enim, quod, niſi Deo volente, oriatur & exſiſtat; neceſſe igitur eſt, ut omnia ſingillatim cognoſcat, & quaſi in numerato habeat. Neque aliquis erit tam excors, ut Deum, quae non noverat, feciſſe arbitretur.

IV. Impoſſibilia ne ipſa quidem a divina ſcientia ſeſe abripiunt. Ea veluti ex obliquo cognoſcit Deus. Sicut enim poſſibilia omnia novit Deus, quippe cum iis rationem entis participare poteſt, ita ſane cognoſcit & illa, quibus ratio entis adverſatur. Nimirum ens iis contrarium intelligens, privationem ejus ſimul comprehendit.

Eadem ratione neque peccata Deo incomperta ſunt. Non enim illa per ſe, ſed per ea, quibus oppoſita ſunt, intuetur; non ſecus atque in lumine tenebras cognoſcimus.

V. Quamquam univerſe conſtitutum ſit, omnium rerum penes Deum eſſe notitiam, de futurorum tamen praeſcientia ſingillatim dicendum eſt. Et futura quidem *neceſſaria*, quae nimirum neceſſitate quadam cum ſuis cauſſis connexa ab

iis

iis neceſſario proficiſcuntur, a Deo cognoſci comperta res eſt. Qui enim colligationem cauſſarum omnium perſpicit animo, idem neceſſe eſt omnia teneat, quae futura ſunt.

Quod ad *contingentia* ſpectat, & quae potiſſimum a cauſſa libera originem habent, paullo difficilior res nonnullis eſſe videtur: ea praeſertim de cauſſa, quod cum futurorum contingentium praeſcientia hominis libertas cohaerere non poſſe videatur. Hac ſane difficultate commotus olim Tullius Deum, quid caſu & futurum ſit, ſcire negavit. *Si enim ſcit, certe eveniet. Sin certe evenit, nulla fortuna eſt. Eſt autem fortuna; rerum igitur fortuitarum nulla eſt praeſenſio* (*a*). Atque ita Vir magnus & doctus, dum homines vellet facere liberos, fecit ſacrilegos, ut facete Auguſtinus (*b*).

In eo igitur quaeſtionis nodus verſatur, quod quae Deus futura eſſe praeſenſerit, ea neceſſario eventura ſint, ne Dei ſcientia falli dicatur. Quod autem neceſſario futurum eſt, contingens ac liberum eſſe nequit. Humana igitur libertas ſtare non poteſt, poſita contingentium praeſenſione.

Verum facile eſt nodum hunc expedire, ſi duplex diſtinguatur neceſſitas, *antecedens* una, *conſequens* altera, quarum illa quidem cum humana libertate componi nequit; haec autem illi non officit. Nam prima antecedit liberum cauſſae conſilium, antevertit liberam ipſius determina-

(a) *Lib. II. De Divin. cap. VII.*
(b) *De Civ. Dei Lib. V. cap. IX.*

tionem, & naturali neceſſitate ad unum eam determinat. Altera vero liberam cauſſae determinationem ad agendum conſequitur: qua ſane poſita licet non poſſit non agere, cum agit, libere tamen agit. Quae igitur Deus futura eſſe praeſcivit, neceſſario eventura ſunt conſequenti neceſſitate propterea, quod fore praeſcivit Deus, ut effectus contingentes e cauſſa libere ſeſe determinante proficiſcerentur. Dei igitur praeſcientia nullam vim, aut neceſſitatem humanae Menti conſciſcit. *Nam ſicut*, ad rem Boëtius (a), *ſcientia praeſentium nihil his, quae fiunt: ita praeſcientia futurorum, nihil his, quae ventura ſunt, neceſſitatis importat.*

His porro nebulis fugatis nullus dubitationi locus relinquitur, quin futura libera Deus cognoſcat. Cum enim Dei ſcientia ſit perfectiſſima, nihil profecto eſſe poteſt, quod ipſum fallat.

At enim: Futura libera, & quaevis contingentia ejuſmodi comparata ſunt, ut aeque eſſe, ac non eſſe poſſint. Quod autem definitam veritatem non habet, certo praeſciri nequit. Nulla igitur eſſe poteſt fortuitorum praeſenſio.

Reſpondeo futura contingentia determinata non eſſe, ut potius ſint, quam non ſint, ſi praeſens tempus inſpicias, non autem illud, quo futura eſſe Deus praevidit. Ea enim cum fiunt, definitam habent veritatem; quippe ſimul eſſe, & non eſſe nequeunt. Atqui Deus ab aeterno univerſa, prout ſunt, videt. Ea igitur, quae per varia tem-

(a) *Proſa IV. Lib. IV.*

temporis intervalla futura ſunt certo novit; quamvis ſint fortuita (*a*).

§. V.

De Creatione, & Providentia.

SECTIO I.

De Creatione.

DIvinae Providentiae baſis eſt ac fundamentum rerum univerſitatis Creatio. Hoc autem vocabulum, quod proprium ſibi fecit Philoſophia, eam exprimit actionem, per quam fit, ut id, quod antea non fuit, eſſe incipiat. Propterea productionem eſſe *ex nihilo ſui, & ſubjecti* Scholae definiunt.

Mundi Creationis dogma verae Philoſophiae character eſt. At num illa veteribus Philoſophis innotuerit, lis eſt, eaque non levis inter Eruditos. Non pauci enim exiſtimant fuiſſe inter veteres Philoſophos, qui materiae ac Mundi opificem & conditorem Deum agnoverint. In qua ſane ſententia ducem ſequuntur Clementem Alexandrinum, qui (*b*) Orpheum, Platonem, ac Stoicos Creationis ideam aſſecutos eſſe perhibet.

Nonnulli longius, quam par erat, progreſſi omnes omnino Philoſophos, quicunque ſive apud

(a) *Legeſis hujuſmodi argumentum apud D. Thomam* contra Gent. lib. I. cap. LXVII.

(b) *Strom. Lib. V. cap. IV.*

barbaros, ſive apud Graecos ante Ariſtotelis aetatem floruere, Creationem ex nihilo docuiſſe opinantur.

Verum ſunt qui certiſſima Creationis notitia veteres omnes Philoſophos, ſi unos Hebraeos excipias, caruiſſe arbitrantur. Quae enim horum hominum monumenta nobis transmiſit antiquitas, ea ſane ne veſtigium quidem exhibent Creationis ejuſmodi notione acceptae, quam divinae Revelationis face praelucente etiam ratiocinando extudit Chriſtiana Philoſophia. Hujuſmodi argumentum fuſe proſequitur Moshemius in Diſſertatione, quam Capiti V. *Syſtem. Intelleᴃt.* Cudworthi adnecti juſſit.

Porro Creationem ex nihilo, quam divina oracula nos docent, humana etiam ratio ſuadet, cujus argumenta exhibet proxima quae ſequitur Propoſitio.

PROPOSITIO: *Mundum ex nihilo Deus produxit.*

Demonſtratur I. Ii ſunt characteres Materiae peculiares, ut neceſſario non exſiſtat, ut perennes viciſſitudines ſubeat, ut tandem abſoluta perfectione deſtituatur. Atqui hujuſmodi notae Materiam ab aeterno non eſſe prae ſe oſtendunt: ut multis demonſtratum eſt, cum Atheos refellimus. Materia igitur condita ſit oportet. Condita autem ex nihilo; unde eam Deus eduxit. Informis igitur Materia, cum nihil antea exſiſteret, potentiſſima Dei virtute prodiit: qua deinde ſollertiſſimo veluti artificio elaborata Mundum Deus ipſe ornavit.

II. Quod ejuſmodi eſt, ut neceſſitate naturae non

non exſiſtat, idem omnino oportet, ut eſſe inceperit. Quod autem eſſe incipit, cum antea non erat, Ens aliquod antiquius poſtulat, cui exſiſtentiam ſuam acceptam referat. Mundus igitur, ut qui eſſe incepit, Deum auctorem habet.

III. Ens infinitum τῦ εἶναι *eſſendi* plenitudinem complectitur. Quaecunque igitur gradus aliquos *eſſendi* habent, ea quidem *eminenter*, h. e. excellenti quadam ratione in ſe comprehendit Ens infinitum. Id autem perinde eſt, ac ſi dicas Ens infinitum virtute ſua iis omnibus aequivalere, quae vel aliquam *eſſendi* rationem habent, vel utcunque habere poſſunt. Antequam igitur quidquam horum exſiſteret, infiniti Entis eſſentia complectebatur univerſa, quibus *eſſendi* ratio tribui poterat. Ea porro eſſe coeperunt, h. e. ex nihilo educta ſunt ſtatim, atque ipſis infinita Dei virtus eſſentiam impertivit. Mundus igitur, qui non erat, e nihilo productus eſt.

IV. Rerum haec univerſitas duo naturarum genera complectitur: alterum earum eſt, quae cogitant, & vita interiore & ſua funguntur, cujuſmodi eſſe Mentem noſtram novimus: alterum vero eas continet, quae extenſione praeditae ſunt, & ſenſibus patent. Jam vero nobilior pars univerſitatis, quam ſcilicet ſpiritus conſtituunt, ex nihilo prodiiſſe oportet. Ergo.

Nam 1. unuſquiſque intimum conſcientiae propriam originem docentis teſtimonium perſentiſcit, a quo admonitus nemo erit, qui ſe ſibi aeternum fingat. Mens igitur, quam huic corpori conjunctam habemus, ab aeterno non exſtitit. Ex nihilo igitur condita ſit oportet. Neque enim

fingi

ſingi poteſt quaedam *προϋκειμένη praeexiſtens* materia, quae ſpirituum omnium fons ſit, ac veluti ſeminarium, unde avulſis ſubinde partibus ſpiritus conflentur.

2. Hominum Mentes finitae ſunt, ac proprietates, quibus exornantur, limitibus circumſcriptas habent: tum verſatiles ſunt ac mutationibus obnoxiae: ac tandem ipſae ſibi non ſufficiunt, ſed conſervationis indigere ſe ipſae ſentiunt; ut enim a ſe non ſunt, ita in exſiſtendo ipſae perſeverare nequeunt. Haec autem omnia veluti charaćteres ſunt nihili, unde Mentes ipſae prodierunt. Ergo.

Quod ſi ſpiritus a Deo ex nihilo facti ſunt, nihil ſane prohibet, quo minus idem de corporibus dicatur. Nam 1. nemo dixerit difficilius fieri poſſe, ut corpus, quod antea non fuit, eſſe incipiat, quam ut Mens e nihilo educatur. Si enim ex rei praeſtantia operis ipſius difficultas repetatur: eo magis ardua ſpirituum, quam corporum creatio erit, quo longius Mentis proprietates corporis conditionem antecellunt.

2. Spiritus quidem a Deo ex nihilo educti ſunt; iis enim infinita Dei eſſentia aequivalet; atque ipſorum perfectiones limitibus ac vitiis omnibus immunes compleétitur. Atqui corporum proprietates, nullo vitio ac macula admixta, virtute ſua Deus comprehendit. Ergo & ipſa e nihilo eduxit. Difficile quidem nobis occurrit cogitatio, quemadmodum Deus, qui nihil habet corporei, perfectiones corporum poſſideat. Verum omni procul dubio conſtat, quaſcunque perfectiones per ſingulas quaſquè res diſperſas ita in Deo repe-

reperiri, ut omnis ab iis terminus, atque omnis abſit imperfectio: quod quidem alibi animadvertimus.

3. Si mundus hic corporeus e nihilo non eſſet eductus: informem materiam antea exſtitiſſe ſtatuas oportet. Eam igitur ita Deus temperavit, diſpoſuit, ornavit, ut mundum hunc conſtitueret. Sed qui tanta virtute ornatur, ut materiae formam tribuerit: idem efficere poteſt, ut materia apta ſit ad formam ſuſcipiendam: valet nimirum ad materiam ipſam creandam. Ergo (a) Obji-

(a) *Hujuſmodi argumentum ab Auguſtino expreſſimus, cujus verba* lib. de Fide & Symbolo cap. II. *licet longiuſcula ſubnectere abs re non erit*. Nullo modo credendum eſt illam ipſam materiam, de qua factus eſt mundus, quamvis informem, quamvis inviſam, quocunque modo eſſet, per ſe ipſam eſſe potuiſſe, tanquam coaeternam & coaevam Deo: ſed quemlibet modum ſuum, quem habebat, ut quoquo modo eſſet, & diſtinctarum rerum formas poſſet accipere, non habebat niſi ab omnipotente Deo, cujus beneficio eſt res non ſolum quaecunque formata, ſed etiam quaecunque formabilis. Inter formatum autem & formabile hoc intereſt, quod formatum jam accepit formam, formabile autem poteſt accipere. Sed qui praeſtat rebus formam, ipſe praeſtat etiam poſſe formari: quoniam de illo & in illo eſt omnium ſpecioſiſſima ſpecies incommutabilis: & ideo ipſe unus eſt, qui cuilibet rei, non ſolum ut pulchra ſit, ſed etiam ut pulchra eſſe poſſit, adtribuit.

Objicitur I. Vulgatum illud axioma, *Ex nihilo nihil fieri poteſt*, ea evidentia fulget, ut veritatem ſuam cuique probet. Atqui Creatio, quo ſenſu apud Philoſophos uſurpatur, id efficit, ut ex nihilo res fiant. Abſurdus igitur eſt, qui Mundum ex nihilo conditum eſſe tuetur.

Reſp. Hujus quidem axiomatis ſenſus ſuperius enucleavimus. Fieri nimirum nequit, ut res aliqua ſine ulla cauſſa oriatur. Atqui cum e nihilo Mundum a Deo conditum eſſe dicimus, cauſſam non excludimus: ſed divinam potentiam, qua cauſſa nulla praeſtantior excogitari poteſt, effeciſſe pronuntiamus, ut res quaedam, cum antea non eſſet, exſiſtere inciperet. Nonnullos quidem in eo turpiter deceptos eſſe videmus, quod animum induxerunt, ut, cum dicitur Mundus e nihilo conditus, nihilum pro quadam veluti materia accipiatur, unde Deus rerum naturam effecerit. Quo nihil ineptius dici poteſt. Pueros enim illos imitari videntur, qui nocturnas tenebras veluti quoddam reapſe exſiſtens ſibi repraeſentant, quod vix Sol ſuae lucis jubar affundit, cum protinus expellitur, aut in lucem ipſam commutatur. Hinc imperite faciunt quidam e Scholaſticis, qui *nihilum* eſſe ajunt *materiam creationis negativam*.

Objicitur II. Creationis notio pugnantia ſecum componit. Nulla igitur eſt Creatio, quam dicunt, ex nihilo. Res enim quae creari dicitur, aut eſſe coepit, cum non erat, aut exſiſtere incepit, cum jam erat. Primum fieri nequit, quippe exſiſtere ſtatueretur ante, quam ipſa fuiſſet. Neque alterum fieri poteſt; fingeretur enim

non

non eſſe, cum jam erat. Ergo.

Reſp. In Creatione duo horae momenta diſtinguere licet, alterum *negativum*, alterum *poſitivum* rei, quae creatur. Nimirum quod antea non erat, eſſe incipit. In quo quidem nulla reperitur repugnantia. Neque enim contraria conjunguntur, cum concipitur res, quae a ſtatu potentiae, ut ajunt, gradum facit ad actum. Quemadmodum contra ſe res habet in annihilatione, cujus idea nullam complectitur contradictionem. Concipimus enim rem, quae eſt, in nihilum occidere, h. e. jam eſſe deſinere: adeo quidem, ut primum *poſitivum*, alterum *negativum* momentum animo complectamur.

Expoſitum Atheorum ſophiſma cum illo Zenonis Eleatis convenire, ut motum omnem negaret, perbelle advertit Samuel Clarckius (*a*). Ita enim concludebat: Si quod corpus moveri poſſet, aut moveretur in loco, ubi eſt, aut in loco, ubi non eſt. Moveri autem nequit in loco, ubi eſt; nam ibi quieſcit: neque in loco, unde abeſt; ibi enim nec moveri, nec quieſcere poteſt. Quae hoc ſophiſma falſitatis arguunt; eadem & illud Creationis, quo impenſe gloriantur Athei, pueriles eſſe ineptias patefaciunt.

Objicitur III. Ita tempus aeternitati opponitur, ut ab ea ad illud tranſitus fieri nequeat. Atqui cum e nihilo rerum univerſitas a Deo educta eſt, aeternitati tempus ſucceſſit. Ergo.

Reſp. Qui tempus aeternitatem excepiſſe, aut ab aeternitate ad tempus Deum progreſſum eſſe ſibi

(a) *Trait. de l'Exiſten. de Dieu T. I. chap. XI.*

ſibi perſuadent, cum univerſa Mundi compago condita eſt; ii quidem aeternitatis & temporis ideas aut nullas, aut valde obſcuras ſibi obverſari manifeſto produnt. Aeternitas enim unius Dei propria eſt, & omnis ſucceſſionis expers ſtabilis eſt atque immobilis. Tempus autem, quod intervallis ac differentiis diſtinctum fluit ac labitur, conditarum rerum veluti certus comes eſt. Quodcunque enim natum eſt, atque initium habuit, idem neceſſe eſt, ut aliquando inceperit. Nullum vero tempus fuiſſet, ſi nullae res creatae exſtitiſſent. Quamobrem Deus ab aeternitate non egreditur; cum ab omni aeternitate decreverit, quod in tempore, & cum tempore ſtatuendum erat. Terminus vero divinae actionis in aeternitate locum non habet; ſed in tempore & cum tempore incipit eſſe.

SECTIO II.

De Providentia.

Providentia, quam veteres Graeci Philoſophi *πρόνοιαν* appellabant, & futurorum praeſenſionem, & ipſam rerum adminiſtrationem, qua illae ſuis quaeque nectuntur ordinibus, complectitur.

Nullum porro apud veteres omnes Philoſophos pervagatius dogma reperire licet, quam ut divina Mente, ac ratione Mundum adminiſtrari & regi, atque a Deo vitae hominum conſuli & provideri cenſuerint. In ea ſane ſententia fuiſſe Chaldaeos, Aegyptios, ceteroſque populos, qui Solem

lem orientem ſpectabant, explorata res eſt: quamvis rerum humanarum procurationem a Deo certis eſſe Geniis commiſſam judicaverint. Atque huic opinioni pleroſque inter Graecos Philoſophos adhaeſiſſe compertum eſt, & fere omnes animadvertunt, qui illorum diſciplinas perſcrutati veterem Philoſophiam proſecuti ſunt.

Qui vero divino conſilio Mundum adminiſtrari negarunt, ii quidem ſat pauci ſunt, atque inter Atheorum claſſem potius recenſendi. Democritus enim, atque Epicurus, qui ſuis atomis divinitati bellum indixerunt, cum *invidiae deteſtandae gratia*, ut Poſidonio viſum apud Ciceronem, (a) Deos admiſerint, eos tamen nullis occupationibus implicatos nihil providere & cogitare effutiebant. Nimirum eam eſſe Deorum vitam ajebant, *qua nihil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari poſſit*. Beatam autem vitam *in animi ſecuritate, & in omnium vacatione munerum* ponebant. Hinc ipſi colligebant, quod *ſi in Mundo Deus ineſt aliquis, qui regat, qui gubernet, qui curſus aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines ordineſque conſervet, terras & maria contemplans, hominum commoda vitaſque tueatur; nae ille eſt implicatus moleſtis negotiis & operoſis*. Ita quidem diſſerit Vellejus apud Ciceronem Epicureorum oracula fundens (b).

Divinam providentiam ſuſtuliſſe accuſatur Ariſtoteles, ut qui Deum ſibi unice vivere, totumque in contemplatione poſitum ſua beatitate frui do-

(a) *Lib. I. de Nat. Deor. Cap. XLVI.*
(b) *Loc. cit. cap. XIX. XX.*

docebat. Legatur *Synopſis Hiſtorica*, quam hiſce Inſtitutionibus praeire juſſimus (*a*).

Stoicorum fatum, cujus ſupra meminimus, cum Dei providentia cohaerere non poſſe nonnullis videtur. Fuerunt enim inter Stoicos, quibus Fatum & Providentia idem ſonabat; cumque fato Deum ipſum ſubditum eſſe docerent, nullam veri nominis providentiam admiſiſſe videntur. Notum eſt Epicureos ita in Stoicos jocari ſolitos fuiſſe, ut *anum fatidicam Stoicorum* providentiam appellarent. Unde quidem colligi poteſt eam fuiſſe quorumdam Stoicorum ſententiam, ut fatum ex providentia conſequi opinarentur. Quod Lipſius demonſtrare ſtudet (*b*).

Qui igitur rerum conditarum curationem omnem atque adminiſtrationem Deo per ſummam vim ademerunt, ii quidem inter recentiores potius Deiſtas, quam veteres Philoſophos occurrunt. Verum ne divinae providentiae hoſtibus adjungas, quos Deiſtarum nomine appellare audis: eos in quatuor claſſes diſpeſcere licet.

I. Deiſtae nominari conſueverunt, qui aeternum ac ſupremum Ens venerantur, atque huic rerum univerſitatem originem ſuam acceptam referre docent. At Deum Mundi curatione deſtituunt, atque illum nec fingere ullam moleſtiam, nec alteri quaerere dictitant. Ita enim terroribus ſolvi, atque in libertatem vindicari ſibi perſuadent, veluti indignati impoſitum in ſuis cervicibus ſem-

(a) §. *XIV.*
(b) *Phyſiolog. Stoicor. Diſſert. XI. XII.*

ſempiternum dominum, quem dies & noctes timerent.

II. Sunt etiam Deiſtae, qui nihil diſcriminis inter bonum & malum morale intereſſe ſtatuunt. Hi quidem & Deum agnoſcunt, & Deum rerum naturae conſulere opinantur: ſtabilitos tamen limites, quibus virtus ac vitium ſeparantur, funditus convellunt: nec ſibi curae habere Deum ajunt, num recte an prave ſe gerant homines: bonas autem aut malas aeſtimari hominum actiones, prout humanarum legum arbitrium eas eſſe decernit.

III. Ab his non multum abludunt, qui in propriae conditionis perniciem veluti conjurati humanae Mentis immortalitatem, atque alterius vitae dogma ex hominum animis radicitus extrahere conantur. Quamvis enim Deum ſumme ſapientem, bonum, ac juſtum colant: nihil tamen ex Dei bonitate ac juſtitia inferri poſſe tuentur, unde altera vita eſſe certo colligatur.

IV. Tandem Deiſtarum agmen claudunt, qui naturali rationis lumini nimium confidentes omnem *Revelationem* penitus rejiciunt. Eos ſane nullus de Deo ac praecipuis ipſius attributis error certo de tramite pellit. Deum enim aeternum, infinitum, ſapientiſſimum eſſe profitentur. Omnia Deum providere, cogitare, atque animadvertere ſtatuunt. Eam hominibus ineſſe legem agnoſcunt, ut pro virili ſinguli labori ſeſe adjiciant, quo publicae felicitati provideant. Tum jubent omnes ita animum ſuum conformare, ita cupiditates cohibere, ita ſe a ſceleribus caſtos ſervare, ut vitio ipſis verti nequeat, quod ſuis defuerint officiis. Tandem docent ſuae juſtitiae

legibus Deum debere, ut veluti ſupremus Mundi dominus praemiis aut poenis perinde homines afficiat, atque illi ſe geſſerint. Quod cum in praeſenti vita praeſtari non ſoleat; alteram vitam eſſe docent, ubi & merces & poena ſingulis rependatur. Haec autem omnia ſolo naturae lumine praelucente ſibi innoteſcere profitentur, quacunque Revelatione negleƈta, cui omnino non auſcultant.

Hujuſmodi porro homines, ſi eorum ſententias inſpiciamus, ita ſeparari poſſunt, ut primi Atheorum ordini adjungendi videantur: iis vero, quos ultimo loco recenſuimus, Deiſtarum nomen proprio jure adſcribatur. Atheiſmus enim potius ut immane ſcelus ac vitium, quam ut ſimplex error conſiderari poteſt: ſi potiſſimum attendas, quantam ille in hominum mores depravationem induxerit. Quid autem diſcriminis ſtatuere licet inter eum, qui Deum eſſe negat, & qui nihil Deum hominibus providere, honeſtum a turpi non ſeparari, nihil poſt praeſentem vitam aut ſperandum aut timendum eſſe profitetur? Hae quidem nefandae opiniones illuc intendunt, ut omni impunitate propoſita diſſoluta vivendi conſuetudo, atque immoderata licentia hominibus concedatur. Atqui nihil hoc ſceleſtius admitti poteſt, ſi Deum eſſe negaveris.

Quamobrem ut Deiſtas adoriamur, Dei Providentia ſtabilita, atque ab illorum calumniis vindicata, Revelationis neceſſitatem, quantum Philoſopho progredi licet, oſtendemus. Ne verbum quidem de Altera Vita; cum eam eſſe & quae de Mentis Immortalitate diximus, & quae in

Theo-

Theologicis Inſtitutionibus fuſe ac docte diſſeruntur, abunde demonſtrent.

PROPOSITIO I. *Deus providentia ſua res a ſe procreatas gubernat.*

Quae ad propugnandam Dei Providentiam rationes produci poſſunt, vel ex Deo ipſo ejuſque proprietatibus, vel ex rebus, quas ille procreavit, proficiſcuntur.

Demonſtratur I. argumentis, quae Dei natura ſuppeditat. Et 1. quidem Deum eſſe ſumme bonum is quidem intelligit, qui illum ſibi ad fruendum aptiſſimum eſſe, atque in ſe ipſum adquieſcere animo complectatur. Profecto Deus perfectiſſimus eſt; propterea ipſe ſibi ſufficit. Longiſſime igitur & quam maxime a Deo diſtant malitia, invidentia, & quaecunque ad malum inducere poſſunt; ut quae ex indigentia, infirmitate, imperfectione originem repetunt.

Si autem Deus eſt natura ſua ſumme bonus, providentiſſimus ſit oportet. Id enim bonitati eſt conſentaneum, ut proſit, aliorumque rebus proſpiciat; quippe relativa bonitas ex abſoluta proficiſcitur, ut in Ontologicis diximus. Hinc bonitatem Dei appellat Boëtius *clavum & gubernaculum, quo mundana machina ſtabilis atque incorrupta ſervatur* (a).

2. Deus eſt ubique immenſitate ſua. Atqui ſic eſt ubique, ut otioſus ac nihil agens eſſe nequeat. Agit autem intelligentia ac voluntate, qui ſunt duo providentiae fontes. Univerſa igitur providentia ſua fovet ac moderatur.

(a) *Lib. III. de Conſol. Phil. Proſa XII.*

II. Demonſtratur ex effectis ac rebus a Deo conditis. 1. Univerſa Mundi compago ita diſpoſita eſt ac diſtincta, ut nihil ſit in tanta rerum mole, quod ad eum finem & uſum, cujus gratia inſtitutum eſt, non ſit aptiſſime accommodatum. Atqui innumerabilium rerum mutuis uſibus reſpondentium admirabilis conſenſus non minus induſtriam ac ſapientiam, quam curam & providentiam moderantis cauſſae poſtulat. Ipſae igitur creatae res, quae ſuum fatentur auctorem, ipſius providentiam nobis enarrant. In hanc rem legi poteſt Tullius, qui ſcite more ſuo ſingulis mundi partibus perluſtratis, ac brutorum animantium natura, atque humani corporis fabricatione perſpecta, divina Mente Mundum gubernari demonſtrat (a).

2. Singula corpora, quibus haec continetur univerſitas, licet certos & aequabiles motus conficiant, aliorum tamen corporum occurſu, atque aliis de cauſſis a ratis ordinibus deflectere poſſunt. Oportet igitur, ut attractionis atque impulſionis vi apte diſpertita ſubinde motus inſtauretur. Id autem hujuſmodi moderator praeſtare poteſt, qui ipſius mundi architectus fuit. Univerſis igitur creatis rebus providentiſſimus Deus proſpicere debet.

III. Publicum naturae teſtimonium divinam providentiam docet. Univerſos enim cujuſcunque aetatis & nationis homines id animis comprehenſum habere, quod humanis rebus Deus proſpiciat, praeſeferunt preces, vota, poſtulationes, gra-

(a) *Lib. II. de Nat. Deor. cap. XXX. & ſeqq.*

gratiarum actiones, & juramenta ubique gentium adhibita. Niſi enim hominibus Deus conſulat, ait Tullius (a), *quid veneramur, quid precamur deos? cur ſacris pontifices, cur auſpiciis augures praeſunt? quid optamus a diis immortalibus? quid vovemus?*

Objicitur I. Hujus Mundi fabrica non uno laborat vitio. Nam 1. Caeli conſtitutio, atque Aequatoris & Eclipticae obliqua interſectio id efficit, ut plures Telluris partes incultae ſint, quod aut frigore rigeant aut urantur calore.

2. Ipſius Telluris ſuperficies deformis eſt, atque admodum inordinata. Ingens enim oceani vis, concavae ſpeluncarum altitudines, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines, horridae nemorum immenſitates, aliaquae hujuſmodi Tellurem nobis exhibent veluti informem maſſam temere confectam, quam nulla provida Mens moderetur.

3. Plurima inutilia, & quae nullius ſunt uſus: itidem noxia, quaeque maximo ſunt detrimento in Tellure, quam incolimus, obtinent: quae quidem providentiſſimum auctorem habere nequeunt.

His autem poſitis ita ratiocinantur Athei: Deum exſiſtere, atque huic Mundo proſpicere, ex illius ordine, proportione, & perfectione colligitur. Atqui ex oſtenſis ſumma vitioſitas, imperfectio, atque inordinatio conſpicitur. Haud igitur Dei providentis exſiſtentiam probat rerum univerſitas.

T 3 Reſp.

(a) *Lib. I. De Nat. Deor. cap. XLIV.*

Reſp. Haec ipſa, quae afferunt Athei, ut rerum naturae vitia aperiant, ad Dei providentiam demonſtrandam maxime conducunt. Nam 1. falſum eſt, quod, ut ait Lucretius (*a*), Telluris

. . . Duas prope partes fervidus ardor
Aſſiduuſque geli caſus mortalibus aufert.

Neque enim Zona torrida eo Solis ardore torretur, aut frigidae ita nive & pruina obrigeſcunt, ut habitari nequeant. Conſtat Zonas torridam, & frigidam Borealem magna ex parte habitabiles eſſe. Atque hic ſummopere elucet Dei Providentia. Regiones enim Zonae torridae ſubjectae maxima aquarum atque imbrium copia irrigantur, quibus refrigeratae grato aëre fruuntur. Perennes deinde flatus interdiu ab ortu in occaſum oriuntur, quibus Solis aeſtus temperatur. Ac tandem anni ratio ita plerumque inſtituitur, ut cum Sol recta immineat, tum frigus & pluvias maxime patiantur.

2. Quae informis Atheis videtur Telluris figura, ea ad uſus utilitateſque incolarum deſtinatur. Quod enim marium ac lacuum aquae non modicam Telluris partem occupant; inde proficiſcitur 1. ut ejuſmodi vapores in atmoſphaeram aſcendant, qui animantium vitae aptum aërem efficiant. 2. Ut rura, agri, prata, paſcua ſint irrigua. 3. Ut inter diſſitas urbes facilius commercia pateant. Quod ſi vero nulli eminerent montes, nullae eſſent metallorum fodinae, nulla eſſent flumina, quae niſi a montibus origine ducta decurrere non poſſunt. Ubi autem montes, ibi declivia ſint oportet. 3. Quae

(a) *Lib. V. v.* 201.

3. Quae vero imperfecta & nullius uſus nobis eſſe videntur, ea quidem perfecta ſunt ratione totius ſyſtematis; prout nimirum ad univerſitatis nexum accommodantur: atque uſum habent auctori ſuo compertum, nobis vero ignotum. Multa enim ſunt, quorum vis & ratio hominibus latet adhuc, & quorum utilitatem longinqui temporis uſus & experientia proferet. At inutilia dici nequeunt, quamvis eorum uſus nos fugiat. Animantium ſane corporum fabricatio recte intelligi nequit, niſi ſanguinis circuitus, vaſaque omnia per totum corpus diffuſa probe cognoſcantur. Multa igitur inutilia in animantium corpore eſſe iis videntur, qui illius ſtructuram non bene perſpectam habent: at eorum uſum aſſequuntur, qui in ea intelligenda occupantur.

Objicitur II. Si ratione & prudentia humanae res gubernarentur, omnia recte procederent, & juſtitiae lex ubique vigeret. Atqui tanta rerum obtinet inaequalitas, ut & bonis hominibus peſſima multa, & malis proſpera contingant. Nulla igitur eſt provida Mentis adminiſtratio: ſed omnia potius fato vel fortuna feruntur.

Reſp. Quod perditos homines impune vivere Deus nonnunquam patiatur, nec bonos continuo praemiis afficiat; id nihil divinae providentiae detrahit. Neque enim ignavia quadam aut negligentia differt Deus vel improborum poenas, vel piorum praemia, ſed ſuis agitur rationibus ſapientiſſimus Deus: quas aſſequi nequeunt homines, quos nimius ſui ipſorum amor vexat, atque animi commotiones urgent. Praeſentem vi-

tam altera ſequetur, in qua vindicis ac beneficae Juſtitiae legibus fiet ſatis.

Objicitur III. Quotidiana vitae praeſentis incommoda, atque ingens illa malorum copia, quae & animo & corpori cladem ac perniciem afferunt, componi nequeunt cum Dei providentia, qui rebus humanis conſulat. Quod quidem ita proſequitur Epicurus apud Lactantium [a]. *Deus aut vult tollere mala, & non poteſt; aut poteſt, & non vult; aut neque vult, neque poteſt; aut & vult, & poteſt. Si vult, & non poteſt, imbecillis eſt; quod in Deum non cadit. Si poteſt, & non vult, invidus; quod aeque alienum a Deo. Si neque vult, neque poteſt, & invidus, & imbecillis eſt; ideoque neque Deus. Si vult, & poteſt; quod ſolum Deo convenit; unde ergo ſunt mala? aut cur illa non tollit?*

Reſp. Malorum tria genera diſtinguere licet, *Metaphyſicum*, *Phyſicum*, & *Morale*. Malum Metaphyſicum appellari conſuevit ipſa defectio a ſumma atque abſoluta perfectione. Phyſicum ſitum eſt in doloribus tum animi tum corporis. Morale demum eſt culpa ſive peccatum. Porro ſi hujuſmodi malorum propria veluti indoles inſpiciatur, profecto nec Dei bonitatem, nec providentiam dedecere deprehendes, quod hiſce malis homines ſubiiciantur. Haec enim mali genera, quae recenſuimus, ita ſecum complicata cohaerent, ut cum malum metaphyſicum ab humana natura ſeparari nequeat, morale etiam, at-

[a] *De Ira Dei cap. XIII.*

atque inde phyſicum eſſe poſſit.

Et ſane malum metaphyſicum ab ipſa hominis natura originem ſuam repetit, neque ab illa divelli poteſt. Eſt enim creati hominis limitatio. Quod autem homo determinatos eſſentiae gradus, & certis limitibus circumſcriptos accipiat, id omnino poſtulat Nihil, unde educitur. Eos enim characteres praeſeferre debet id, quod e nihilo prodiit; ut nimirum contingens ſit, mutabile, & finitum ac limitatum. Atqui quod neceſſarium non eſt, quod mutationibus ſubjicitur, quod infinitam non habet eſſentiam, idem a ſumma perfectione deficiat prorſus oportet. Cauſſa igitur, quamobrem ſumme perfectus homo a Deo condi non poſſit, in ipſius creati hominis natura locum obtinet. Ergo mali metaphyſici origo cum Dei bonitate ac Providentia non pugnat.

Jam vero malum morale ex Metaphyſico proficiſcitur. Illud enim admitti dicimus, cum a jure deflectitur, a lege deſciſcitur, a recto ordine aberratur. Atqui homo a jure, a lege, ab ordine deflectere poteſt, tum quia liber eſt, tum vero quia defectioni eſt obnoxius. Haec autem duo ab homine divelli non poſſunt. Libertas enim bonum eſt, de quo ſumma Dei beneficentia hominibus collato gratias ipſi debemus. Neque ea homines deſtitui poterant, ut nimirum legi ſubjicerentur; cujus veluti cujuſdam regulae indigebant, ut finem ſuum aſſequi poſſent. Verum libertate abuti homines poſſunt propterea, quod deficiendi poteſtas humanae voluntati adhaeret, ut quae mutabilis ab immutabili Deo facta eſt,

quippe e nihilo educta. Mali igitur moralis origo ex ipſa hominis natura defectibili repetenda eſt, neque Dei providentiae adverſatur.

His autem de mali metaphyſici & moralis origine conſtitutis, jam facile quiſque videt dolorum ac miſeriarum cauſſam, quibus humana vita opprimitur, ab ipſis hominibus eſſe arceſſendam. Poena enim peccati comes eſt; neque humanum genus tanto miſeriarum pondere obrutum ingemiſceret, niſi divina juſſa detrectantes per vetitum nefas ruiſſent homines. Hinc, ut Ethnici ipſi confeſſi ſunt, *macies & nova febrium Terris incubuit cobors: Semotique prius tarda neceſſitas Leti corripuit gradum* [a]. Iniquiſſimae igitur ſunt de Dei providentia hominum querelae, cum calamitates ac miſerias ipſi ſua culpa ſibi quaeſierint.

Ceterum quod homo miſeriis ſubjiciatur, h. e. aptus ſit, ut dolores percipiat: id quidem ex finita hominis eſſentia proficiſcitur. Determinati enim gradus eſſentiae, & certis limitibus definita hominis exſiſtentia in cauſſa ſunt, quamobrem doloribus ipſe affici queat. Finge enim infinitum hominis corpus, qui fieret, ut res externae in ipſum offenderent? Finge infinitam Mentem, nullae ignorantiae tenebrae, nulla concupiſcentiae vis in ea verſari poſſet. Haec autem leviter delibaſſe ſufficiat; fuſius enim in Theologicis Inſtitutionibus.

PRO-

---

[a] *Horatius Lib. I. od. III. v. 30.*

PROPOSITIO II. *Revelata Religione homines indigebant*.

Demonſtratur I. Lex illa, quam aperta naturae vox quemque docet, ita a nobis animum conformari jubet, ut tum Deo placere, tum etiam propriis adverſus alios homines officiis minime deeſſe ſtudeamus. Atqui ſola naturalis ratio tantam affundere lucem nequit, ut id praeſtare poſſimus. Omnino igitur oportebat, ut homines ab ipſo Deo de ſuis officiis docerentur. Re ſane vera multa ſunt, quae naturali rationis lumini denſiſſimas tenebras obduxerunt. Ergo niſi lux divinitus immiſſa affulgeat, quid Deo, quid nobis ipſis, quid aliis debeamus & aſſequi & praeſtare nequimus.

Et I. quidem plerique ſunt homines, quos tam ſupina incuria, ac veluti torpido quodam languore correptos eſſe deprehendimus, ut ipſorum aures rationis vocibus omnino clauſae videantur. Nihil enim ſibi curae eſſe ducunt, ut recta Dei opinione imbuantur; ut diſcrimen, quo virtus ſeparatur a vitio, perſpectum habeant; ut morum regulis, quas conſectari oportet, erudiantur. Imo non ſecus ac belluae ſenſu moventur, atque ad id ſolum, quod vitae commodis atque utilitatibus conducit, ſeſe accommodant: quod vero ad cetera prorſus ſtupidi. *Quamvis* igitur, ut ad rem Tullius (*a*), *non paucis ſignis natura declaret, quid velit ac deſideret: obſurdeſcimus tamen neſcio quomodo, nec ea, quae ab ea monemur, audimus*.

II.

(a) *De Amicit. cap. XXIV.*

II. Incuriae accedit puerilis inſtitutio , quae plerumque praejudiciis maliſque opinionibus nos depravat. Atqui praejudiciis imbuti igniculos, ac veluti virtutum ſcintillulas, quas in nobis ipſis habemus , ſic reſtinguimus , ut nuſquam naturae lumen appareat . Superna igitur luce deſtituti , quid nobis agendum ſit plane ignoramus. Et ſane *ſimul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate & in ſumma opinionum perverſitate verſamur; ut pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur . Cum vero parentibus redditi, demum magiſtris traditi ſumus , tum ita variis imbuimur erroribus , ut vanitati veritas , & opinioni confirmatae natura ipſa cedat*. Ita quidem pueriles ſuae aetatis inſtitutiones deplorat Tullius (*a*).

III. Senſus , quorum familiari conſuetudine duce natura Mens utitur , & quibus eam agi experimur, non parum rationem depravant. Eorum enim illecebris irretiti tanta rerum caducarum cupiditate inflammamur, ut nihil inanius , nihil levius eſſe exiſtimemus , quam quae ſenſibus non ſubjiciuntur . Veritas igitur , quae ſenſibus inimica adverſatur , homines fugiet , niſi caeleſte praeſto ſit auxilium , quo Mens a ſenſuum conſuetudine veluti abducatur.

IV. Cupiditatum lenocinia , quae hominum animos tenent, dici vix poteſt, quantam vivendi corruptelam inducant. Voluptatum enim amor, qui nobiſcum naſcitur, & progrediente aetate nutri-

(a) *Lib. III. Tuſcul. cap. I.*

tritur & creſcit, ita animum rebus caducis, & quae ſenſibus patent, addicit, ut vix aut ne vix quidem ab iis mentem avocare poſſimus. His adde quod vitia ipſa depravatam humani ingenii indolem delectatione alliciant: unde fit, ut cupiditatum ardor, invita etiam ratione interdum in animo excitatus, aegre reſtingui queat, & nunquam plane reſtinguatur. Cupiditatum igitur morbos, quibus humanum genus plane conſumtum affligebatur, nulla niſi divinitus allata medicina ſanare poterat.

V. Neque humani generis depravationi occurrere poterat Philoſophia. Philoſophis enim id muneris impoſitum erat, ut morum diſciplinam & hominis officia docerent. Atqui tantum abeſt, ut ipſi perditis hominum moribus conſuluerint, ut etiam liberiorem vivendi licentiam quandoque induxiſſe videantur. Sapientiſſima quidem Dei providentia probos quoſdam viros ſubinde inter Ethnicos ſuſcitavit, quorum vita & doctrina corruptionis atque ignorantiae tenebris veluti quaſdam lucis ſcintillas afferret. Verum unius Philoſophiae praeceptis atque inſtitutis humanum genus inſtaurari & refici omnino non poterat.

Nam 1. paucos admodum exſtitiſſe deprehendimus, qui Philoſophiae praeceptis animi aegrotationibus medicinam adhibere elaboraverint. Quos enim Philoſophos jactat antiquitas, ad eam ſapientiam, quam conſectari profitebantur, non modo hebetes & obtuſi, ſed caeci fuiſſe videntur. Nimirum Philoſophorum nomine apud vulgus cohoneſtabantur, quod *myſterium ſapientiae barba*

tan-

tantum celebraretur, *ac pallio*, ut ait Lactantius (*a*).

2. Vetus Philoſophia in ſumma inanitate verſabatur. Omnia enim ad minutas ſubtilitates, ad inutiles diſputationes, ad verborum ſonitum revocabantur; quae quidem nihil conferre poterant, quo perditi hominum mores reſtituerentur, vitia radicitus evellerentur, & falſarum opinionum tenebrae diſpellerentur. Eapropter eos *exercendae linguae cauſſa*, *vel advocandi gratia artem ipſam Philoſophiae reperiſſe* jure redarguit modo laudatus Lactantius (*b*). Tum & Seneca Philoſophiam a primaeva inſtitutione deſciviſſe conqueritur. (*c*)

3. Non eminentem effigiem virtutis, ſed adumbratam duntaxat imaginem conſectabantur vel ipſi, quos ex optimo more & ſanctiſſima diſciplina veteres commendarunt. Honor enim, ambitio, amicitia, leges, ſocietatis rationes, &c. virtutum omnium inter Philoſophos erant veluti fons, & origo. Unde quidem proficiſcebatur, quod quae bene vivendi praecepta Philoſophorum gymnaſia reſonabant, ea ne ipſi quidem ſuis moribus exprimerent. Turpiſſimi hujuſce vitii veteres Philoſophos arguit Tullius, quem loquentem audire prae-

---

(a) *Lib. III. de falſa Sapien.*

(b) *Loc. cit.*

(c) *Epiſt. XCV.* Antiqua ſapientia nihil aliud, quam facienda & vitanda praecepit: & tunc longe meliores erant viri: poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. Simplex enim illa & aperta virtus in obſcuram & ſollertem ſcientiam verſa eſt, docemurque diſputare, non vivere.

praeſtat. *Haec eadem num cenſes apud eos ipſos valere, niſi admodum paucos, a quibus inventa, diſputata, conſcripta ſunt? Quotus enim quiſque Philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus, ita animo ac vita conſtitutus, ut ratio poſtulat? qui diſciplinam ſuam, non oſtentationem ſcientiae, ſed legem vitae putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? Videre licet alios tanta levitate & jactatione, iis ut fuerit non didiciſſe melius: alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum ſervos; ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio* (a).

4. Quamplura ſunt, quae vetus Philoſophia non aſſequebatur; quae tamen perſpecta habere omnino oportebat, ut a libidinum impetu vindicarentur, atque ab ignorantiae tenebris ad veritatis lucem homines evocarentur. Nimirum quae ſint propria hominum officia; quae vera felicitas, ac beatitudo; qua via ad eam homines contendere poſſint; quo pacto Dei benevolentiam ſibi peccator conciliet; quae merces, quae poena in altera vita bonis & malis retribuantur; haec quidem, atque id genus alia perquam neceſſaria eſſe, quae hominibus innoteſcant, nemo non videt. Atqui ea veteribus Philoſophis vel prorſus ignota, vel incerta & obſcura, vel falſis opinionibus implicata fuiſſe deprehendimus.

Quamobrem omnino oportebat, ut Deus ipſe humani generis conditioni conſuleret: atque ipſius vox loqueretur, quae cupiditatibus detractis, omnium falſarum opinionum temeritate direpta, cer-

(a) *Tuſcul. Lib. II. cap. IV.*

certiſſimam ſe nobis ducem praeberet.

Demonſtratur II. Humani animi depravatio, unde acri & vehementi quadam incitatione in vetitum nefas inflammamur, ejuſmodi eſt, ut eam omnes licet inviti experiamur. Atqui humanae rationi impervium eſt, quo pacto tanta corruptela emendari poſſit. Lux igitur e caelo affulgere oportuit, quae a libidinum impetu homines vindicaret.

Quae enim hujuſce depravationis cauſſa atque origo fuerit, humanae rationis acies ſuperiori lumine deſtituta non aſſequitur. Neque igitur accepti vulneris gravitatem deprehendere, nec medicinam, quae huic paranda ſit, reperire per ſe ipſa poteſt. Hinc ſane hujus depravationis curationem Ethnicae Philoſophiae prorſus ignotam fuiſſe videmus. Naturam enim ſequi, naturae conſentire, frui naturalibus principiis, ſecundum naturam vivere jubebat: atque hoc unum curabat, ut corruptae naturae deſideriis modus duntaxat imponeretur, non ut radicitus extraherentur. Id quidem in Epicuro, qui de *cupiditatibus finiendis* diſſerebat, reprehendit Cicero, quamvis ipſe mutatis vocibus idem doceat. Ait enim: *Qualis iſta Philoſophia eſt, quae non interitum afferat pravitatis, ſed ſit contenta mediocritate vitiorum? Quamquam in hac diviſione* (cupiditatum ſcilicet in naturales, & non neceſſarias) *rem ipſam prorſus probo: elegantiam deſidero. Appellet haec deſideria naturae; cupiditatis nomen ſervet alio, ut cum de avaritia, cum de intemperan-*

rantia, cum de maximis vitiis loquetur, eam tanquam capitis accuſet (*a*).

Demonſtratur III. Vitia, in quae corrupta natura inflammati delabimur, id faciunt, ut infinito intervallo a Deo ſeparemur. Oportebat igitur, ut aliquis veluti ſequeſter intercederet, qui humanum genus ſceleribus coopertum Deo conciliaret. Quî autem fieri poteſt, ut id humana ratio aſſequatur?

Demonſtratur IV. Praecipuum Religionis officium eſt, ut Deum pro eo ac par eſt, veneremur. Sed qualis honor, quive cultus Deo tribuendus ſit, niſi Deus ipſe homines doceat, rationis lumine praelucente deprehendi nequit. Ut igitur recte Religio conſiſteret, ea Deo docente manifeſtari oportuit.

Demonſtratur V. Non parvi tandem momenti argumentum eſſe vel illud poteſt, quo maxime urgeri poſſunt Deiſtae, ipſos nimirum Ethnicos Philoſophos Divinae Revelationis neceſſitatem deprehendiſſe. Cum enim certum ducem, quem ſequerentur, ſibi praeeuntem non haberent, veluti in mari magno errare cogebantur. Hinc profecto non poterant, quin lucem divinitus immitti oportere ingenue faterentur, quae apertum monſtraret iter, quaque duce verae Sapientiae faſtigium attingerent. Id quidem fateri non dubitavit Plato (*b*), qui magna cum ſpe exſpectandum eſſe ali-

(a) *De Fin. Lib. II. cap. IX.*

(b) *In Alcibiade II. ex verſione Marſilii Ficini:*

aliquem jubet, qui doceat, quemadmodum adverſus Deum atque homines nos gerere oporteat. Videſis ad imam paginae oram ex binis ipſius Dia-

---

cini: SOC. An vides non ſatis tutum tibi eſſe ad orandum pergere, ne quando te Deus audiens imprecantem iſta tua ſacrificia renuat, aliud vero quiddam fortuitum reportes? Mihi ergo videtur operae pretium eſſe quietem agere . . . . Quare neceſſe eſt exſpectare, donec diſcatur quemadmodum ad Deum, atque ad homines habere ſe deceat. ALC. Quando erit o Socrates, & quis praeceptor? Jucundiſſime enim hunc hominem, quiſquis erit, agnoſcam. SOC. Hic eſt cui tu curae es. Verum mihi videtur, quemadmodum Diomedi Minervam inquit Homerus ab oculis nebulam abſtuliſſe, ut diſcerneret Deum ab homine: ſic & ab animo tuo prius oportere caliginem, qua nunc offunditur, auferre: deinde illa propius admovere, per quae ſeu bonum quid ſit, ſive malum, dignoſcas: nunc enim impos eſſe videris. ALC. Auferat ſeu nebulam ille velit, ſive quodcumque aliud. Etenim paratus ſum nihil penitus praetermittere, quod ille praeceperit, quiſquis denique ſit, modo ipſe ſim melior evaſurus. SOC. Atqui ille mirum in modum tibi providet. ALC. In illud itaque tempus hoc ſacrificium differre optimum fore cenſeo. SOC. Et recte quidem: tutius enim eſt, quam tanto periculo ſe ſubjicere.

In

Dialogis nonnulla in hanc rem excerpta loco ſuperius citato.

In Phaedone. Mihi enim videtur, o Socrates, quemadmodum tibi quoque fortaſſe, de his quidem rebus manifeſta veritas in vita praeſenti, aut nullo modo, aut ſumma cum difficultate intelligi poſſe. Quae porro de his dicuntur; ea non omni modo explorare, & non prius deſiſtere, quam examinando omnia defatigeris, mollis nimium judico eſſe viri. Oportet enim circa haec alterutrum efficere, aut diſcere invenireque quemadmodum ſe habeant: aut ſi haec fieri nequeant, optimam, atque tuiſſimam humanarum rationum eligere, qua quis tamquam rate vehatur, atque ita procellas hujus vitae pertranſeat, ſi nequeat firmiori quodam vehiculo, vel divino aliquo verbo tutius, ac minori cum periculo tranare.

ETHICAE ELEMENTA.

ANTELOQUIUM.

ETHICA, quae morum diſciplinam exhibet, quae humanorum affectuum omnium originem, objecta, & regulas aperit, quae tandem hominum officia, quaecunque ipſorum conditio inſpiciatur, accurate proſequitur, Philoſophiae pars eſt ceterarum facile praeſtantiſſima. Quod quidem ipſa quaſi materia, quam tractat, & in qua verſatur, perſpicuum facit. Eam igitur omnino praeterire, aut leviter duntaxat attingere, indignum Philoſopho facinus eſſe jure quis dixerit. Sed quoniam is eſt Scholarum noſtrarum mos, ut primo anno adoleſcentes Logicae, ac Metaphyſicae ſtudio Geometriae planae ſolidaeque atque Arithmeticae elementa adjiciant, Phyſicae & reliquae Matheſeos inſtitutiones proximo anno excepturi; hinc fieri ſolet, ut ipſi temporis anguſtiis ab Ethicae Philoſophiae diſciplina vel inviti excludantur. Quamobrem temporis brevitati proſpicientes, guſtationis magis, quam juſtae πραγματείας inſtar, quamdam veluti Ethices adumbrationem Metaphyſicae ſubjicimus: ea ſane de cauſſa, ut noſtri adoleſcentes primis Ethicae elemen-

mentis ex hoc rivulo hauſtis; beatos deinde fontes per ſe ipſi adire poſſint. Eam enim eſſe humani ingenii indolem experimur, ut quas ſcientias ſive artes per adoleſcentiam attingere nobis non licuit, ad earum ſtudium, cum adoleverit aetas, vix aut ne vix quidem animum appellamus; quippe quos ipſius ſcientiae nominis, & vocum potiſſimum τεχνικῶν novitas abſterret. Ita igitur adoleſcentes noſtros inſtitutos ad Grotium, Puffendorſium, Heineccium, Wollaſtonum, cum publica auctoritate licuerit, alioſque non ignobiles harum rerum Scriptores ire jubemus: ut penitiore Philoſophiae moralis eruditione informentur, cujus heic praecipua tantum dogmata primoribus labiis deguſtarunt.

CAPUT I.

De Affectuum Humanorum Origine.

SEnſus, quo intime ſe affici unuſquiſque experitur, nativus fons eſt, unde ſui ipſius amor proficiſcitur: ille nimirum amor, quo homo ipſe ſibi conciliatur, & commendatur ad ſe conſervandum & ad ſuum ſtatum, & ad ea, quae conſervantia ſunt ejus ſtatus, diligenda. *Fieri* enim *non poſſet*, appoſite (*a*) Tullius, *ut homines appeterent aliquid, niſi ſenſum haberent ſui, eoque ſe & ſua diligerent*: *ex quo* (nimirum ſen-

(a) *De Fin. Lib. III. cap. V.*

ſenſu) *intelligi debet principium ductum eſſe ſe diligendi*.

Hunc autem amorem, quo Mens ſe ipſa diligit, atque id ſumma contentione appetit, ut conſervetur, & beatitate perfruatur; a natura nobis inſitum eſſe facile quiſque comprehendit. Tale enim eſſe noſtrum ingenium perſentiſcimus, ut in neutram partem moveamur quod ſpectat ad objecta, quibuſcum nulla nobis eſt affinitas, aut quaelibet relatio: quae autem ad nos pertinent, atque *eſſe* noſtrum, ut ita inquam, attingunt; ea quidem amore, ſi utilia deprehendimus; ſin autem noxia, odio proſequamur. Atque adeo id obtinet, ut quo nobis propiora & conjunctiora eſſe objecta ſentimus, eo flagrantiore ſtudio ad ea feramur. Id autem niſi ex amore, quo nos ipſi diligimus, non proficiſcitur. Sui enim amore capta Mens hoc acrius ac vehementius ſeipſam diligit, quo magis cetera amat.

Atque hinc ſane oritur, ut affectus omnes, quibus aut bonum appetimus, aut a malo declinamus, ex amore noſtri tanquam e ſuo fonte dimanent. Sive enim amamus, ſive laetamur, ſive cupimus, ſive ſperamus, ſive tandem metuimus; profecto nos ipſi diligimus: adeo quidem, ut ſui ipſius amor varias veluti formas indutus in ſingulis animi affectionibus deliteſcat.

Et ſane amor, quo bono obviam venienti veluti occurrimus, ut illud complectamur, non eſt niſi amor, quo nos ipſi diligimus. Neque enim aliquid nobis oblatum bonum eſſe judicamus, niſi illud animum moveat, & veluti quadam naturali congruentia ad ſeſe alliciat: ita quidem,

ut

ut nobis illud conducere, & bene per illud nobis eſſe videatur. Atque id quidem in cauſſa eſt, quamobrem amor conjunctionem expetat; bono enim quod amamus conjungi, atque inde beari contendimus.

Hic autem amor *laetitia* nuncupatur, ſi bonum praeſens ſit, quod jam adepti ſumus; *libido* autem, ſive *cupiditas*, ſi futurum eſt; *ſpes* tandem, ſi bonum illud aſſecuturos eſſe confidimus.

Eadem praeterea ſui ipſius amoris veſtigia in aliis animi affectionibus, quae ex mali declinatione oriuntur, inſpicere licet. Cum enim quae vitae noſtrae ſtatum perturbant, aſpernamur, & quantum efficere poſſumus a nobis repellimus; nihil equidem nobis ipſis carius eſſe oſtendimus. Etenim in iis mali rationem ineſſe judicamus, quae nihil nobis prodeſſe, aut nocere deprehendimus. Ex malis autem *metus* & *aegritudo* naſcitur: metus quidem ex futuris: aegritudo vero ex praeſentibus. Quae enim venientia metuuntur, eadem inſtantia aegritudine nos afficiunt.

Paucis haec omnia complectitur Auguſtinus: *Amor inhians habere, quod amatur, cupiditas; id autem habens, eoque fruens, laetitia; fugiens quod ei adverſatur, timor eſt; idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt* (a). Qui ſane amor non eſt, niſi ſui ipſius amor, ejuſdem Auguſtini ſententia. Inquit enim: *In eo quod amas, vis, ut bene tibi ſit: & in eo quod times, non vis, ut male tibi ſit* (b).

(a) *De Civ. Dei Lib. XIV. cap. VII.*
(b) *In Pſalm. LXXIX.*

Jam vero ſui ipſius amor tam late patet, atque adeo ſe quibuſcunque voluntatibus immiſcet, ut id in cauſſa ſit, quare voluptas ſola ſit, quae nos vocet ad ſe, & alliciat ſuapte natura. Nimirum ita nos comparatos eſſe experimur, ut nihil ampleĉtamur, niſi deleĉtet; atque illud ceteris poſthabitis eligamus, quod vehementius deleĉtaverit; ac tandem eo ardentiore ſtudio inflammemur, quo jucundiore ſuavitate perfundimur.

Hanc quidem humanae voluntatis indolem perſpicue aperit laudatus Auguſtinus, cujus verba hic exſcribere placet, ut tria haec, quae modo innuimus, diſtinĉtius explicentur. 1. *Voluntas ipſa, niſi aliquid occurrat, quod deleĉtet atque invitet animum, moveri nullo paĉto poteſt*. 2. *Quod amplius nos deleĉtat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*. 2. *Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum ſit novimus, eoque deleĉtamur ardentius* (*a*).

Quod autem ita faĉta ſit hominis voluntas, ut deleĉtatione agatur: 1. ipſa volendi notio explicata demonſtrat. Quid enim volumus, niſi quod amamus? Quid autem amamus, niſi quod nobis ipſis volumus, ac proinde carum nobis habemus? Quid tandem carum habemus, niſi quod placet, allicit, ac deleĉtat? Id igitur volumus, quo deleĉtamur.

2. Inſitus in nobis eſt beatitudinis amor, qui adeo nos occupat, ut in noſtra poteſtate non ſit vel-

(a) *Lib. I. Qu. II. ad Simplic. Expoſit. in Epiſt. ad Gal. De pecc. mer. Lib. II. cap. XVII.*

velle non eſſe beatos. Atque hinc proficiſcitur, ut quaecunque bona particularia propterea conſectemur, quia quamdam veluti noſtrae beatitudinis partem ea comprehendere perſuaſum habemus. Atqui cum ea ita cogitatione complectimur, eadem jucunda aq ſuavia eſſe nobis exhibemus. Propterea igitur ea volumus, quia nos delectant.

3. Unuſquiſque experitur, eo ſe ardentius aliquid appetere, quo magis illud animi affectionibus congruit. Quicunque autem animi affectus non eſt, niſi amor, quo ſe ipſe diligit. Quo igitur objecta ſunt jucundiora, hoc ad ea adipiſcenda incitamur vehementius.

4. Voluntas ſequitur judicium. Atqui perinde nos *actu* judicare compertum eſt, atque animo affecti ſumus. Perinde igitur objecta volumus, atque nos ea delectant. Nimirum volumus, prout objecta nobis conſentanea eſſe deprehendimus.

CAPUT II.

De Obligationis origine.

JAM porro cum haec ſit humani animi affectio, ut ſe beatum ac felicem eſſe vehementer appetat, ſi homo ſibi ipſe relictus in ſe uno ſua omnia ponat, adeo miſer atque infelix eſt, ut ad miſeriam natus eſſe ſempiternam videatur. Homo enim naturali cupiditate inflammatus ad bea-

beatitudinem contendit, ut nihil magis. Atqui tale bonum, ex quo beatus effici poteſt, in ſe ipſe aſſequi homo nequit. Beatitudinis igitur deſperatione occupatus miſere vivat oportet.

Nam 1. ſummam rerum omnium inopiam in ſe homo experitur; ſibi ipſe non ſufficere perſentiſcit; ſe perfectionis & conſervationis indigere agnoſcit; ad omnia imbecillem ſe eſſe deprehendit; cupiditatibus tandem torquetur, quae intus in animo incluſae inter ſe diſſident atque diſcordant. Atqui *non alia huic verbo, cum beatum dicimus, ſubjecta notio eſt, niſi ſecretis malis omnibus cumulata bonorum complexio*, ut Tullii (a) verbis loquamur. Igitur *ad beate vivendum nemo ſeipſo contentus eſſe poteſt*, ut idem Tullius (b).

2. Singuli experimur amorem noſtrum tam anxium ac ſollicitum foras proſilire, ut animus veluti e ſeipſo egredi cupiat. Extrinſecus igitur quaerit animus id, unde beari poſſit, & cui propterea amorem ſuum religare cupit. Nihil ergo in ſe habet homo, quod ipſum beatum efficiat. Adeo verum eſt, quod, Auguſtino docente, *rationalis creatura ita facta eſt, ut ſibi ipſa bonum, quo beata ſit, eſſe non poſſit* (c).

3. Ipſa tandem humanae Mentis conditio poſtulat, ut illa in ſeipſa beata eſſe non poſſit. Creatura enim ratione praedita cum diſtorta ac perverſa voluntate creari nequit. Ejus autem voluntas recta & bona eſſe nequit, niſi Deum recti-

(a) *Tuſcul. Lib. V. cap. X.*
(b) *De Fin. Lib. . . .*
(c) *Epiſt. CXX. cap. XXIII.*

ctitudinis omnis ac bonitatis normam ut ultimum finem diligat. Mens igitur ſi a Deo ſuo veluti centro aberret, atque aliud extremum diligat; quemadmodum perverſa & mala, ita irrequieta & ſollicita ſit oportet. Jure igitur ſuo ad Deum clamat Auguſtinus: *Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te* (a).

Quamobrem bonum illud, quo felix beatuſque fruatur, extra ſe quaerat homo neceſſe eſt. Quaevis autem creatae res, quae ſeſe extrinſecus homini offerunt, ejuſmodi non ſunt, ut beatitudinem illam, ad quam homo contendit, ipſi impertire valeant. Nam 1. immenſus eſt humanae voluntatis appetitus, quem immenſum duntaxat bonum explere poteſt. Atqui quaecunque ſingularia objecta finita ſunt, & certis limitibus circumſcripta; quaeque propterea *relativae*, ut ajunt, bonitatis partem aliquam comprehendunt. Ergo &c. Unde quidem eſt, ut quo affluentius homo voluptates undique hauriat, eo gravius, ardentiuſque ſitiat. Hunc autem nonne recte miſerrimum dixeris?

2. Bonum illud, quo fruens homo beatus efficitur, ſtabile ac perpetuum eſſe oportet; quippe boni fragilitas amittendae beatitudinis timorem affert; timor autem ſollicitudinem, quae felicitati adverſatur. Atqui ſingulae res creatae, fragiles ſunt & caducae, quae ubi ſeſe fruendas homini praebent, continuo occidunt, aut viciſſitudinem ſubeunt. Beatae igitur vitae effectrices eſſe nequeunt.

3. A-

(a) *Confeſſ. Lib. I. cap. I.*

3. Aviditas illa, qua ſingularia objecta expetimus, atque aliis arreptis ad alia contendimus, ea ad beatitudinem noſtram nihil conferre demonſtrat. Nam *qui beatus eſt*, ait (a) Tullius, *non intelligo, quid requirat, ut ſit beatior; ſi eſt enim quod deſit, ne beatus quidem eſt*.

Ut igitur verum ſuae beatitudinis fontem homo reperiat, univerſas res creatas praetergrediatur oportet. Deus unus eſt, ex quo beatitudinem ſuam homo haurire poteſt. Ipſe enim 1. eſt ſummum bonum bona omnia complectens, unde immenſa humanae voluntatis aviditas ſatiari poteſt. 2. Bonum eſt firmum ac ſtabile: beatitudinis igitur perennitatem promittit. 3. Bonitatis rationem omnem exhaurit; neque igitur defectus boni, neque alia mali ratio in eo deprehendi poteſt (*b*). 4. In ſe beatiſſimus eſt, atque ipſe ſibi ad fruendum aptiſſimus; in eo igitur homini intelligenti extremum beatitudinis finem collocare licet. Profecto, ut Auguſtino auctore utamur, *in rebus a Deo factis tam magnum bonum eſt natu-*

(a) *Tuſcul. Lib. V. cap. VIII.*

(b) *Deprehendit id Seneca, cum* Epiſt. LXXIV. *cetera quaecunque* opinione bona eſſe, nomen *quidem* habere commune cum veris, *at* boni proprietatem *haud illis ineſſe docet; atque hinc fieri ſubnectit, quod* nec implere nos ulla felicitas poteſt. *Hujuſque rei cauſſam reddens ait:* Cauſſa autem eſt, quod non pervenimus ad illud bonum immenſum & inſuperabile, ubi neceſſe eſt reſiſtat voluntas noſtra, quia ultra ſummum non eſt locus,

tura rationalis, ut nullum ſit bonum, quo beata ſit, niſi Deus (a).

Ex his autem primae obligationis, quam in ſe homo deprehendit, origo aperitur. Obligationis enim nomine veluti quoddam vinculum intelligitur, quo quis cum altero adſtringitur & colligatur. Quod ſane nomen inane apud homines eſſet, & nihil ſonaret, niſi reapſe in ſe homo aliquid comprehenderet, unde conjunctionis vinculum proficiſcatur. Atqui naturalis beatitudinis amor, quo homo flagrat, ipſius inopia atque indigentia, qua fit, ut ipſe ſibi beatitudinis auctor eſſe nequeat; haec, inquam, id profecto efficiunt, ut illi, in quo beatitudinem adipiſcitur, homo obligetur. Cum autem Deus ſit bonum illud, in quo beatitudinem ſuam ponat homo oportet; hinc ipſe veluti quodam arctiſſimo vinculo Deo obligatur.

Quamobrem obligationis, qua homo adſtringitur, ea eſt veluti indoles, ut moralem quamdam neceſſitatem praeſeferat, in qua ipſe verſatur, ut Deum ſuae beatitudinis auctorem aſſequatur. Cum autem is, cui alter obligatur, jure ſuo utatur, ſi quid ab illo exigat; propterea certas quaſdam appoſuit Deus conditiones, quas implere homo tenetur, ut finem ſuum attingat. Atque hinc quidem Leges originem habent, quae ea homini praecipiunt, quibus ille ſuſceptis, ac expletis beatitudine ſua fruatur. Lex autem certa quaedam eſt ac ſtabilis regula non ſine poenae ſanctione, cujus promulgandae penes illum jus eſt

(a) *De Nat. boni cap. VII.*

eſt ac facultas, qui legitima poteſtate in ſibi ſubditos exornatur.

Latae igitur legi hanc Deus poenam ſubjecit, ut a beatitudine excluderentur, qui ad praeſcriptam normam actiones ſuas comparare negligerent. Qua ſane poena, ſi alia non inſtaret quam Revelatio aperit, nulla major fingi aut excogitari poteſt, quam Ens ratione praeditum ſubire queat. 1. Mens enim humana, quatenus rationis particeps eſt, tam immenſum habet appetitum, ut nulla re alia ſatiari, ac propterea beari poſſit, niſi ſolius Dei immenſitate. Hoc igitur bono deſtituta, in maximam miſeriam incidat oportet. 2. Durum eſt contra appetitum contendere, & grave ſupplicium boni, quod appetitur, deſperatio. Atqui ſuapte natura ad eam beatitudinem Mens fertur, quae in Deo fruendo collocatur. Miſerrima igitur eſt a Deo exſul atque extorris.

Quoniam autem ſi nulla ſuppeteret via, lex illa homini innoteſcere non poſſet; hinc Deus ipſe ejuſmodi nobis auxilia ſuppeditavit, quibus latae legis notitiam aſſequeremur. Has autem cognoſcendae legis rationes in ſenſu tum intimo, tum extimo concluſit; unde ratiocinationis opera propria officia per ſe quiſque haurire poſſet.

Nam 1. in animis hominum moralem Senſum ingeneravit, quem intus in nobis latentem nemo eſt, quin perſentiſcat. Is autem eſt, qui ſeſe explicat, ac veluti foras prodit, cum & mendacium, & injuriam, & turpitudinem omnem inviſa nobis & ingrata eſſe experimur. Atque id

ra-

ratiocinationem omnem, ac praejudicatam opinionem antevertit. Neminem enim invenies, qui decipi velit: adeo cuique amica veritas; neminem, qui laedi amet: adeo cara incolumitas; neminem tandem, qui inhoneſtus haberi cupiat: adeo bene morata ſibi Mens eſt. Hic autem Veritatis, Juſtitiae, Honeſtatis Senſus ante omnem deliberationem vel nobis invitis obverſatur.

Ex his igitur veluti quibuſdam ſeminibus evolutis atque explicatis, quid juſtum, quidve injuſtum, quid agere, quidve praeterire debeat unuſquiſque deprehendit. Quod quidem alibi proſecuti ſumus.

2. Exterior Senſus alter fons eſt, unde officiorum hominis cognitio proficiſcitur. Cum enim alios noſtri ſimiles nobiſcum una verſari inſpiciamus, quos ad eumdem beatitudinis finem deſtinatos eodem, quo nos, appetitu illuc ferri deprehendimus; fieri nequit, quin inde mutua nobis cum iis officia eſſe colligamus. Quibus & illud accedit, quod in ſocietate conſtituti alii aliorum ope atque auxilio indigemus; unde quidem id ſibi praeſtandum eſſe facile quivis intelliget, ut alios eadem, ac ſeipſum, benevolentia proſequatur, neque id aliis faciat, quod ſibi fieri nolit.

CA-

CAPUT III.

De Juris Naturalis Principio.

BEatitudinis appetitum natura hominibus inſitum, unius Dei immenſitate explendum, cauſſam eſſe, quamobrem Deo obligetur homo, jam vidimus. Hinc ſuam leges arceſſere originem animadvertimus, quippe quae conditiones ſunt, quae homini ſervandae praeſcribuntur, ut ſuo fine potiatur. Hujuſmodi tandem leges, quarum complexio κατ' ἐξοχὴν *Jus* appellatur, interioris, atque exterioris Senſus ope homini aperiri diximus. Illud modo inveſtigandum ſupereſt, quodnam inter ea, quae ratiocinationis opera ex duplici hoc cognitionum noſtrarum fonte haurimus; commune ſit ac generale jus naturae cognoſcendi principium: quaenam nimirum ſit ea veritas, unde veluti e quodam ſemine univerſa hominum officia effloreſcant. Id *Principium Cognoſcitivum* appellant.

In hac porro re definienda inter ſe diffident Philoſophi, atque alii alias vias ingreſſi variam aperiunt officiorum hominum originem. Celebriores duntaxat ſententias delibaſſe pro inſtituti ratione nobis ſatis erit.

I. Primus ſeſe nobis offert Hugo Grotius, qui *ſocietatis appetitum* totius Juris naturae fontem eſſe tuetur. Hujuſmodi enim a natura hominibus ingenitum eſſe appetitum docet, ut etiamſi

etiamſi nulla re ipſi indigerent, ad mutuam tamen ſocietatem, eamque pacatam ac tranquillam, contenderent. Id autem univerſa hominum officia complecti oſtendit. Qui enim naturae lege cuſtodiendam atque amandam ſocietatem intelligit; is quidem ea ſe devinciri obligatione facile deprehendit, ut primo Deum ſupremum hujuſce ſocietatis moderatorem pie ſančteque colat; tum ſeſe ipſius ſocietatis membrum diligat ac tueatur; ac tandem alios, unde ſocietas ipſa coaleſcit, pari amoris ſtudio proſequatur.

II. Ab his non multum abludit Samuelis Puffendorfii ſyſtema, qui ex *ſociabili* hominis indole, qua nimirum ipſe cum ſui ſimilibus ſociari appetit, verum juſtitiae fontem derivat. Legis enim naturalis fundamentum in ipſa hominum natura & conditione radices habere docet. Homo autem, ut ipſe (a) differit, *eſt animal ſui conſervandi ſtudioſiſſimum, per ſe egenum, ſine ſui ſimilium auxilio conſervari ineptum, ad mutua commoda promovenda maxime idoneum; idem tamen ſaepe malitioſum, petulans, & facile irritabile, atque ad noxam inferendam promptum & validum*. Ut igitur homo incolumis vivat, ſuiſque fruatur bonis, omnino oportet, ut ad ſocietatem feratur; ita nimirum alios ſui ſimiles amice accipiat, ut hi non modo ipſum non laedant, ſed ad ſui ipſius commodis proſpiciendum incitentur. Quamobrem hanc eſſe totius juris naturalis originem conſtituit, *cuilibet* nimirum *homini, qui bene beateque eſſe velit, quantum* in-

(a) *De Jur. Nat. & Gent. Lib. II. cap. III.*

in ſe eſt, colendam eſſe & ſervandam ſocialitatem (a).

His autem quae Grotius & Puffendorfius diſputant, plura ſunt, quae vulgo opponere ſolent. 1. Ajunt pleriſque erga Deum & nos ipſos officiis locum relinqui, etiamſi homo ab omni humana ſocietate ſejunctus in orbe terrarum viveret.

2. Objiciunt ſtatutum principium nulla fulgere evidentia. Vel ipſi enim, quibus illud arridet, in medio relinquunt, num homines neceſſitate potius aut utilitate compulſi, an vero Dei lege obſtricti ſocietatem ament, an demum ad illam natura duce ferantur.

3. Grotio potiſſimum illud opponunt, quod jus naturae futurum eſſe dixerit, licet non eſſe Deus concipiatur. Jus enim omne a Deo proficiſcitur; nihilque juſtum aut injuſtum foret, ſi Deum eſſe, rebuſque humanis providere negaveris. Quod quidem praeter alios ipſe Tullius agnovit. Ait enim: *Haud ſcio, an, pietate adverſus Deos ſublata, fides etiam & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus Juſtitia tollatur* (b). Et ſane licet ſint actiones in ſe & natura ſua bonae; at juſtae illae dici non poſſunt ſine jure: Jus autem intelligi nequit ſine lege; neque lex ſine legislatoris voluntate concipi poteſt. Nulla igitur eſſet veri nominis obligatio, quae ex naturali actionum bonitate proficiſceretur.

III. Paullo aliter rem perſequitur Riccardus Cum-

(a) *De offic. Hom. & Civ. Lib. II. cap. III.*
(b) *De Nat. Deor. Lib. I. cap. II.*

Cumberlandus. Is enim in *mutua* hominum *benevolentia* juris naturalis originem ſitam eſſe ſtatuit. Beatitudinem enim veluti proprium finem homini a Deo conſtitutam, & *media*, quibus illam aſſequatur, propoſita eſſe docet. Cum autem beatitudo, quae hominis in praeſenti conditione propria eſt, in eo collocata ſit, ut corpus dolore, animus vero aegritudine vacet; hinc leges naturae ad hujuſmodi felicitatem homini comparandam ordinantur. Id igitur harum legum fundamentum erit, quo ſervato homines ſuum finem attingunt, quove neglecto ab eo longe aberrant. Atqui hominum felicitas conſiſtere nequit, niſi mutua ſeipſi, quoad maxime poſſunt, benevolentia complectantur. Haec igitur radix eſt naturalium legum, ut quae hujuſmodi felicitatem ſpectant.

IV. Tandem Joann. Gottlieb Heineccius ex *amore* veluti proprio fonte totum jus naturae & gentium prono alveo fluere arbitratur. Nimirum ipſe primum conſtituit Deum, utpote infinitae ſapientiae ac bonitatis, id velle, ut homines, quos condidit, vere felices ſint ac beatiſſimi. Cum vero humanarum actionum liberarum norma ſit Dei voluntas, ac propterea fons juris naturae & juſtitiae; hinc naturae leges hominum cauſſa a Deo conditae illuc profecto reſpiciunt, ut homines vera felicitate perfruantur. Jam porro vera hominis felicitas in fruitione boni, malique abſentia conſiſtit. Id igitur naturae leges intendunt, ut vero bono perfruamur, malumque vitemus. Atqui vero bono frui non poſſumus, niſi per amorem. Amor igitur

juris naturae principium ac veluti compendium eſt. Ita quidem totidem fere verbis diſſerit laudatus auctor (*a*).

Ex his autem propoſitiones, quae legum naturalium primordia ſunt, colligit Heineccius. Quae enim bona a nobis amari poſſunt, ſunt Deus, Noſmetipſi, atque Alii noſtri ſimiles. Hinc 1. Deus, utpote perfectiſſimus, a quo omnis noſtra pendet exſiſtentia & conſervatio, amore *devotionis* & *obedientiae*; omnibus nimirum animi viribus, perfectiſſimo ac interno quoque obſequio colendus eſt. 2. Cum noſtrum ipſorum amor non poſſit aliter eſſe comparatus, quam ut perfectione ac felicitate noſtra delectemur; propterea nihil eorum, quae ad perfectionem, felicitatemque aſſequendam, conſervandam, & augendam pertinent, homo praetermittat oportet: dummodo ſine amoris divini violatione fieri poſſit. 3. Tandem cum homines nobis natura aequales ſint; hinc homo hominem non minus, quam ſeipſum amare tenetur; nec alteri, quod ſibi fieri non vult, facere: contra illi facere omnia, quae ſibi ab altero fieri cupit.

Heineccii ſyſtema, quod Samueli de Cocceji ſe acceptum referre ipſe fatetur, cum recenſita ſuperius Cumberlandi ſententia amice conſpirat. Utrique enim illud commune eſt, ut *cognoſcitivum* principium in benevolentia & amore conſtituant. Atque ambo in eo ſecum conſentiunt, quod homines ex ipſorum *fine*, h. e. felicitate ad

(a) *De Jur. nat. & gent. Lib. I. cap. III.* §. 77. & *ſeqq.*

ad amorem obligentur. Quae autem à quibuſdam huic ſententiae opponi ſolent, ad duo capita revocantur.

Ajunt 1. amorem eſſe virtutem, ad quam nemo cogi, vel externa obligatione adſtringi poſſit. Quae igitur ex amore derivantur officia, ea quidem *humanitatis*, ſive quae *imperfecta* vocant, non autem *perfecta* ſunt.

Verum ad haec Heineccius ipſe reſpondet (*a*), 1. Decalogi leges, quae perfecta aeque, ac imperfecta officia inculcant, ad amorem veluti ad ſuum principium ab ipſo Servatore revocari. 2. Amorem, unde jus naturae proficiſcitur, tum propenſionem alteri benefaciendi, tum propoſitum complecti, ne alterum laedamus, atque ut ei tribuamus, quae jure etiam perfecto debemus.

2. Objiciunt naturae leges in hoc ſyſtemate ex noſtri utilitate derivari; quippe illuc omnia reſpiciunt, ut homines ſui felicitatem aſſequantur. Sed quoniam hiſce auctoribus vera utilitas non aeſtimatur, quae publicae utilitati, aut Dei obſequio aliquid deroget; privata utilitas juris mater non erit.

V. Longe a reliquis diſcedit Thomas Hobbeſius Malmesburienſis ſenex, qui naturam hominum, non qualis a Deo prodiit, aut eſſe debuit, ſed qualis in praeſens eſt vitiis depravata, aſtute rimatus, ſolam utilitatem naturalis juris fontem ac principium ſtatuit: Epicurum ſane ſecutus, cujus eſt πολυθρύλητον illud apud Horatium (*b*) X 3 ...*Uti-*

(a) *Praefat. ad Elem. Jur. Nat. & Gent.*
(b) *Lib. I. Satyr. III. 89.* 113.

. . . *Utilitas juſti prope mater & aequi . . .*
Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum.

Cum enim homo ſui ſtudioſiſſimus ſit, nihil in ipſo antiquius amore ſui eſt. Hic autem amor propriam utilitatem unice quaerit, cui cetera omnia refert, atque adjungit. Atqui naturalis eſt ſui ipſius amor. Naturalis igitur homini lex eſt utilitas propria. Hinc ſi quae reſpuit homo ſive in domeſtica, ſive civili ſocietate, poſtulante utilitate cedit ac reſpuit.

Longum eſt proſequi quae ex hoc principio fluunt, & quae jus naturae plane evertunt. Nihil enim eſt Hobbeſio juſtum honeſtumque, niſi quod utile; nihil injuſtum ac turpe, niſi quod noxium. Porro cum leges humanae plures actiones utiles aut noxias faciant coactione adjecta; hinc ab humanis legibus actionum honeſtatem repetit, atque a coactione jus omne derivat. Humanis nimirum inſtitutis, docente Hobbeſio, juſti injuſtique notio debetur.

CAPUT IV.

De Hominis Officiis.

Quod Graeci Philoſophi δέον, & Stoici καθῆκον, Latini Tullio interprete *Officium* dixere. Eſt autem Officium *actio ex obligatione legibus conformanda*. Unde quidem colligitur ad liberas duntaxat hominum actiones officium pertinere, ut quae legibus ſubjiciuntur.

Quo-

Quoniam vero actionum, quae in hominum poteſtate ſitae ſunt, duplex fons eſt Intellectus & Voluntas; hinc in actiones morales utraque facultas aequo jure concurrit: adeo quidem ut niſi intelligatur, aut libere agatur, nullus officio locus relinqui queat. Ita autem comparata eſt Voluntas, ut nihil appetat vel averſetur, niſi ab Intellectu veluti ducatur. Nequit igitur Voluntas actionem tanquam juſtam edere, neque ab ea tanquam injuſta abhorrere, niſi Intellectus comparatione inſtituta cum lege juſtam vel injuſtam eam eſſe deprehenderit.

Haec porro ratiocinatio, ſive de juſtis & injuſtis actionibus *in individuo*, ut ajunt, ratiocinandi facultas, vocatur *Conſcientia*; quae quidem veluti ſyllogiſmus eſt, cujus propoſitio *legem*, aſſumtio *actionem*, complexio tandem *ſententiam* comprehendit. Abſolvitur autem attentis loci, temporis, ac propriorum affectuum *circumſtantiis*, adeo quidem, ut proxime actionem ipſam antevertat. Hinc *practicum judicium* appellari ſolet. Differt porro Conſcientia ab *Imputatione*, quae eſt *adplicatio legis ad factum*; haec enim alienas actiones reſpicit, eaſque cum lege comparat: illa vero ad proprias pertinet.

Jam vero quemadmodum ratiocinatio peccare poteſt, ita & Conſcientia; *recta* igitur eſt, aut *erronea*. Errat quidem, ſi falſa lex praemittatur, ſi actio non bene expendatur, ſi tandem ratiocinandi canones negligantur.

Praeterea aut *certa*, aut *dubia* Conſcientia eſt. Certa quidem, cum ex certa lege actionis juſtitiam injuſtitiamve certo deducit. Probabilis

vero, cum ex certa lege non certa deducitur concluſio, ob ratiocinationis difficultatem; cui tamen nulla in oppoſitam partem adverſentur argumenta. Quod ſi nec certa lex, nec certa concluſio ſuppetat, Conſcientia dubia dicitur; dubia quidem *negative*, quae cum ignorantia reciprocatur, ſi nulla pro actionis honeſtate, nulla contra honeſtatem praeſto ſint argumenta; *poſitive* vero dubia, cui *opinio*, ut ajunt, *formidoloſa* reſpondet, ſi aeque probabilia in utramque partem occurrant argumenta.

Porro quaevis fuerit aeſtuantis animi dubitatio, tutiorem partem ſequi debemus. Cum enim animus anceps ſit, impetu potius & caeca optione, quam ratione praevalente ductus ad alteram pro libertate partem dilabi poteſt. Hinc recte Tullius: *Bene praecipiunt, qui negant quidquam agere, quod dubites aequum ſit, an iniquum. Aequitas enim lucet; dubitatio autem cogitationem ſignificat injuriae* (a).

Ut autem ad propoſitum redeamus: I. Officia ratione obligationis, ex qua quiſque, quod officii eſt, facit, *perfecta* vel *imperfecta* dicuntur. Ad primum genus attinent ea, ad quae jure perfecto obligamur, lege nimirum, quae poe-

(a) *De Offic. Lib. I. cap. IX.* Ciceronis ſententiae affinia ſunt, quae tradit Plutarchus in Timoleonte: *Requiritur non modo, ut quod agitur, ſit honeſtum juſtumque, ſed firma ac conſtans adſit perſuaſio, unde fiat actio, ut quod fit, fiat ideo, quod animus ita faciendum judicaverit.*

poenae ſanctionem adnexam habet; ita ut ſi ea non praeſtiterimus, ad ea praeſtanda jure cogi poſſimus. Hujuſmodi ſunt neminem laedere, & quod ſuum eſt cuique tribuere. Haec autem pervulgato illo axiomate continentur, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*.

Ad alterum genus attinent, quae ex virtute & honeſtate proficiſcuntur; ad ea nimirum praeſtanda ſtricto jure cogi non poſſumus: licet ea omittere, cum ſeſe nobis offert occaſio, ipſi hominum naturae repugnet. Atque hinc eſt, quod ſi quis perfecta officia violaverit, illatum damnum reparare obligetur, non item vero, ſi imperfecta. Hujuſmodi autem officia complectitur illud axioma, *Quodcunque ab aliis tibi fieri vis, id aliis facito*. Atque haec in duas claſſes diſpeſci ſolent. Vel enim abſque proprio detrimento praeſtantur, eaque *humanitatis*, ſeu *innoxiae utilitatis*; vel aliquod benefacienti detrimentum afferunt, eaque *beneficientiae* officia dici conſueverunt.

II. Officia perfecta alia ſunt *abſoluta*, alia *hypothetica*. Illa ex obligatione *connata*, haec verò ex *adquiſita* originem habent. Scilicet abſolutum officium eſt, quod homo ab homine exigere poteſt, nullo poſito jure, quod per factum aliquod adquiſierit. Ita jure quis ab alio exigit, ne occidatur, idque non alicujus facti ratione, quo ſibi jus illud comparaverit. Hypotheticum vero, quod poſito aliquo jure per factum adquiſito exigitur. Ita quod res ab alio mihi direptae ſint, jure conqueri non poſſum, niſi jus aliquod in eas adquiſierim.

III.

III. Cum autem hujuſmodi jus vel *Dominii*, vel *Pacti* vi comparari poſſit; hinc hypothetica officia vel ex dominio, vel pacto proficiſcuntur. Eſt autem Dominium, definiente Heineccio, jus alios uſu rei alicujus excludendi. Id autem vel eſt *proprietatis*, cum jus nobis vindicamus, quo ceteros omnes praeter nos ab uſu alicujus rei excludimus; vel *communionis poſitivae*, ſi exceptis quibuſdam reliquos excludamus. Sin autem nulli jus fuerit, ut alios ab uſu rei excludat, res illa in *communione negativa* eſſe dicitur, ut quae in nullius dominium cadit. Pactum vero, ſive *Contractus* eſt duorum vel plurium conſenſus de rebus ſive operis inter ſeſe ex obligatione perfecta communicandis. Nimirum quae aut plane non debebantur, aut humanitatis tantum & beneficientiae lege, ea vi Pacti jure perfecto dari fierive debent.

IV. Demum Officia ratione objecti ita diſtingui poſſunt, ut alia *Deo*, alia *Nobis ipſis*, alia tandem *Aliis hominibus* praeſtanda ſint. Ea *διὰ βραχέων* expediemus.

§. I.

De Hominis erga Deum Officiis.

OFficiorum omnium, quae Deo homines debent, fundamentum eſt ipſius divinarum perfectionum manifeſtatio. Propterea enim pietatis ac religionis obſequium Deo praeſtare debemus, quod ipſe beatitudinis noſtrae ſit finis, nos condiderit, nobis provideat, bona omnia

tum

tum animi tum corporis nobis contulerit.

Ea igitur homini diligenter ſanctequе ſervanda ſunt officia. 1. In id incumbat, ut quoad maxime fieri poteſt Dei ejuſque proprietatum cognitionem ſibi comparet, earum potiſſimum, quae ad pietatem fovendam conferunt. 2. Dei gloriam pro virili qua docendo, qua cohortando provehere ſtudeat. 3. Deum tota animi contentione diligat, eumque timore *filiali* revereatur. 4. Fiduciam ac ſpem omnem in Deo collocet. 5. De perceptis beneficiis Deo gratias agat. 6. Tandem externo etiam precum, gratiarum actionis, ſacrorumque rituum cultu Deum proſequatur.

§. II.

De Hominis erga Seipſum Officiis.

NAturae lege ad ſui ipſius amorem, ac perfectionem homo obligatur. Cum autem homo mente & corpore conſtet, hominis officia erga ſeipſum tum mentem, tum corpus, tum vero totum hominem reſpiciunt. Quod ad mentem attinet, 1. Intellectum veri bonique cognitione informare ſinguli ſtudeant: atque in eo excolendo diligentiam collocent perinde, atque ingenii vis & indoles, ac ſuſceptae vitae conditio ac finis poſtulant. 2. Voluntatis cultura ita ſingulis curae eſſe debet, ut ea ad verum bonum feratur, ut affectus ratione regantur, ut vitia radicitus evellantur.

Quae ad corpus ſpectant officia, ea quidem ſunt,

ſunt, 1. Sanitatem tueri, quaeque ſanitatis conſervantia ſunt adſciſcere, quae vero huic adverſantur propulſare. 2. Tantundem opum ac rei familiaris ſibi comparare, quanto opus eſt, ut vita vitaeque ſtatus decore ſuſtentetur. 3. Hinc unicuique laborem inſumendum, atque induſtriam adhibendam.

Totum hominem ſpectat ea felicitas ac perfectio, quae ex incolumi Mentis corporiſque conjunctione proficiſcitur.

Hinc 1. ad vitam tuendam, mortemque evitandam homo obligatur. 2. Nequit, niſi injuſte, homo mortem ſibi conſciſcere, aut vitam & valetudinem negligere.

Eodem jure, quo vitam tueri, eam ab aliorum invaſionibus defendere homo tenetur. Quare jure naturae licet homini offendentem inhabilem ad offenſionem efficere, ut nimirum ſibi caveat, ne in poſterum laedatur, atque eum cogere, ut illatum damnum reſarciat. Quod quidem in ſtatu Societatis opera magiſtratuum homo ſibi vindicare debet. Id autem homini etiam licere contra injuſtum aggreſſorem in explorato eſt. Jure enim noſtrae defenſionis utimur, ſi inhabilem ad caedem atque offenſam illum efficimus, qui nos injuſte aggreditur.

Verum an injuſtum aggreſſorem liceat etiam occidere, magna quaeſtio eſt. Licere nonnulli ajunt, cum non alia expediendae ſalutis ratio adſit, modo plura ſerventur. Nimirum ſi aggreſſor hominem injuſte invaſerit; ſi aggreſſus in eo periculo nulla ſui culpa verſetur; ſi tandem neque ſine aggreſſoris laeſione, neque leviori

viori ſui atque illius malo periculum avertere poſſit. Quae quidem *moderamen*, ut ajunt, *inculpatae tutelae* reſpiciunt.

At pauca heic advertere praeſtat. 1. Quod praeſcribitur moderamen vix, imo ne vix quidem adhiberi poteſt eo temporis veſtigio, quo quis invaditur; nimirum *in praxi*, quod ajunt, difficillimum eſt. Cum autem ſumma eſt *medii* difficultas, opus ipſum periculoſum eſt, ac propterea illicitum. 2. Homines aequales ſunt origine, natura, ac jure primitivo; par autem in parem nullum habet imperium. 3. Cum alterius infelicioris vitae periculum inſtat, noſtri Generis amor id expoſtulare videtur, ne quem in longe majoris, atque adeo aeterni mali ſortem conjiciamus. 4. Quod ſi expreſſo vel tacito Societatis conſenſu ſingulis datum jus fuerit, ut nomine Societatis veluti publicus miniſter aggreſſus aggreſſorem tanquam publicum hoſtem, ſi aliter fieri nequeat, interficiat: profecto tum demum non privata, ſed publica auctoritate, ob defenſionem bonorum, ad puniendos coërcendoſque improbos, ne alacriores, frequentiores, ac ſecuriores probos quoſque impetant, hoc veluti ultimum Societatis remedium adhiberi licebit.

Illud tandem monere ſupervacaneum non erit, hujuſmodi nimirum jus licitae defenſionis non iiſdem temporis limitibus circumſcribi in ſtatu civili, ac naturali. Cum enim homo in ſtatu naturali nulli magiſtratui, a quo defendi poſſit, ſubjectus vivat, tamdiu ſibi ab hoſte cavere poteſt, quamdiu is eo animo ſit comparatus, ut

jure

jure timeas, ne te laedat. Contra vero in ſtatu civili, cum Principis ſit, non privati civis tutela ac vindicta, inculpata defenſio durat, quoad urget ipſum periculum.

§. III.

De Hominis erga alios Officiis.

Officia, quae aliis hominibus debemus, alia perfecta, alia imperfecta eſſe, atque illa in abſoluta; & hypothetica diſpertiri jam diximus. Jam vero quod ad abſoluta officia ſpectat, cum homo erga hominem veluti ſibi aequalem ſe gerere debeat, propterea quodcunque ſibi fieri nolit, nec aliis facere obligatur. Hinc 1. nemo laedendus tum ratione Intellectus, tum Voluntatis. Nimirum neque alios mendaciis ac ſophiſmatis in errorem inducere, a veritate avertere, praejudicatis opinionibus imbuere; neque aliorum animum corrumpere, ad vitia allicere &c. licet.

2. Nemo laedendus eſt ratione corporis. Neque enim fas eſt alium verberibus, injuriis afficere, aliorum corpus tormentis, vinculis torquere, aut ea ipſis eripere, quae ad conſervandam vitam neceſſaria ſunt.

3. Nemo occidendus eſt, niſi publica auctoritate, niſi publico jure, niſi defenſione ſui Generis, ubi neceſſitas coëgerit.

II. Hypothetica officia ex Dominio, aut Pacto originem habent, ut ſupra innuimus. Dominium porro comparatur vel *occupatione*, & *acceſſione*, vel *diviſione*, *ceſſione*, & *traditione*. Pri-

Primos adquirendi modos *originarios*, poſteriores *derivativos* appellant. Initio enim omnia in communione negativa poſita erant, cum vero deinceps per univerſum orbem diſperſis hominibus, atque in innumeras familias diſtractis, quaedam res non omnibus ſufficere coepiſſent, ipſa impulit neceſſitas, ut in eas dominium induceretur. Prima igitur dominii origo ex occupatione proficiſcitur.

Haec autem occupatio ejuſmodi ſenſu accipienda eſt, ut occupatum ab aliquo dicatur id, in quo laborem, operam, induſtriam ſuam ille contulerit, ut inde fructus ad ſui, ſuorumque ſuſtentationem recipiat. Atque hinc profecto factum eſt, ut primum homines fundos inter ſe diviſerint; ut nimirum quantum ſibi quiſque telluris excolendum ad ſui nutritionem ſuſcepiſſet, nemini liceret illum inde exturbatum ſuo labore fructuque fraudare.

Eſt porro Occupatio *adprehenſio poſſeſſionis rerum nullius*. Res vero *nullius* dicuntur eſſe, cum ab earum uſu excludendi nemini jus fuerit, vel ſaltem id liquido conſtare nequeat, vel tandem ab hoc jure poſſeſſor ſe abdicaverit.

Occupationem excipit Acceſſio, quae jus eſt nobis vindicandi, quod rei noſtrae adjungitur incrementum; ſive id fiat naturae ipſius beneficio, ſive induſtria noſtra, ſive tandem partim ex natura, partim ex induſtria.

Rei etiam in alterius dominio conſtitutae proprietatem adquirere poſſumus, ſi 1. ex re communi partem noſtram accipimus propriam, quod quidem *diviſione* fieri dicitur. 2. Si res a reliquis

ſo-

ſociis tota nobis attribuitur ; atque ea vocatur *ceſſio* . 3. Si demum res alterius propria , ipſo volente , in noſtrum dominium tranſit ; quod appellatur *traditio*.

His porro definitis , officia , quae inde naſcuntur, ſunt . 1. Non impedire dominum, ut de rebus ſuis libere diſponat . 2. Ejus poſſeſſionem non intervertere per vim apertam, vel clandeſtinam ablationem . 3. Rem alienam ſuo domino reſtituere.

Quod ad pacta pertinet , ea quidem ſumma fide, & quam religioſiſſime ſervanda. Cum enim quod nobis fieri nolumus , id nec alteri facere liceat ; profecto ſi nemo unus eſt , qui pactis ac promiſſis ab aliis decipi velit , pactis omnibus ac promiſſis deliberato animo initis ſtandum nobis erit.

III. Imperfecta tandem officia aliis hominibus etiam debemus . Quod enim ad officia humanitatis attinet , neminem profecto reperies , qui ſibi denegari velit , quae alter nullo detrimento praeſtare poteſt . Ea igitur aliis liberali manu impertiri tenemur . Quae quidem humanitas ad inimicos etiam extenditur . Amor enim , quo alios proſequi debemus , non ex aliorum beneficiis , quibus de nobis meriti fuerint , ſed ex naturae aequalitate proficiſcitur.

Quod vero ad beneficientiam , ad eam homines obligari & humana ipſa natura, & ſocietatis conditio demonſtrat . Cum enim fieri poſſit, & ſaepe uſuveniat , ut aliorum beneficiis indigeamus ; humanitatem quidem exſuiſſe videtur, qui quae ſibi tribui velit , aliis elargiri noluerit .

Prae-

Praeterea ejuſmodi eſt Societas, ut ea perfecta eſſe nequeat, niſi ultro citroque homines beneficia dent, & accipiant. Beneficium porro dicitur res vel actio alteri profutura, quam ei ſine ſpe retributionis praeſtamus. Quod igitur ita impertitur, ut alteri non proſit, aut inde retributionis ſpes concipiatur, beneficium appellari nequit.

CAPUT V.

De Statu Hominis ſociali.

QUae hactenus officia recenſuimus, ea quidem hominem ſpectant, etiamſi nulli ipſe ſubjectus viveret, neque cum aliis ſibi ſocietate conjunctis verſaretur. Nunc illa delibanda ſuperſunt, ad quae homo tenetur, quatenus in Societatis ſtatu verſatur. Societates porro vel *ſimplices* ſunt, vel *compoſitae*: illas ſinguli homines, has vero ſimpliciores ſocietates conſtituunt. Simplices ſunt Societates *conjugalis*, *paterna*, & *herilis*; compoſitae *familiae*, *Civitates*, vel *Reſpublicae*.

Societates omnes cujuſcunque ſint generis unam eamdemque perſonam, ut ajunt, *moralem* praeſeferunt. Cum enim ſinguli, unde ſocietas coaleſcit, in eumdem finem conſpirare debeant, quaſi unus ſit oportet ſingulorum intellectus, atque una voluntas. Atque hinc eſt, quod Societates iiſdem legibus, ac ſinguli homines, regantur; & quae ſingulis hominibus jus naturae praeſcribit officia, eadem a Societatibus praeſtanda

ſint. Adeo quidem, ut Jus Gentium non ſit, niſi jus naturae vitae hominis ſociali accommodatum.

§. I.

De Societate Conjugali.

Conjugium eſt ſocietas duarum perſonarum diverſi ſexus, quae utriuſque conſenſu procreandae educandaeque ſobolis cauſſa initur. Conjuges igitur ea praeſtare debent, ſine quibus procreatio aut filiorum inſtitutio obtineri nequit.

Quamobrem primum conjuges mutuo ſeſe amore complecti debent, & communi cura & conſilio rem familiarem adminiſtrare; ita tamen, ut priores partes vir obtineat; quippe natura vir fortis, & magni animi eſt, femina vero imbecillis: ac propterea viro id oneris impoſitum eſt, ut uxorem & liberos ſuſtentet. Praeterea maximam in eo diligentiam conjuges collocare debent, ut ſuſceptos liberos recte inſtituant.

§. II.

De Societate Paterna.

Filii, qui ex conjugibus naſcuntur, ſocietatem cum iiſdem conſtituunt, cujus is finis eſt, ut quoad ipſi, quae vitae neceſſaria ſunt ſibi comparare, ſuaſque actiones ad jus naturale exigere nequeant, a parentibus educentur. Liberi igitur educandi ſunt. Verum ad educationem imperio opus eſt, quo nimirum liberorum actiones dirigantur. Parentes igitur in liberos poteſtatem habent, quae *patria poteſtas* appellari pro-

propterea conſuevit, quod marito in conjugali ſocietate primae adſcribantur partes.

Haec autem poteſtas in eo verſatur, ut parentes liberis praeſcribere poſſint, quae eos agere oporteat; tum prohibere, quae ab iis fieri nolint, atque in eos renuentes animadvertere, modo id prudenter fiat. Nullum vero jus *vitae* & *necis*, aut *vendendi* liberos parentibus adeſt.

Educatio porro, quam ipſo naturali amore ſuadente filiis parentes debent ea omnia complectitur, quae liberorum conſervatio, perfectio, ac felicitas expoſtulant. Hinc 1. alimenta pro cujuſque ſtatus conditione filiis praebere parentes debent. Cui ſane officio adverſatur abortum procurare, infantes exponere, eos, ſi nihil culpae admiſerint, e domo ejicere, aut exheredare.

2. Filiorum mores diligenti inſtitutione informare tenentur. Quapropter parentes filiorum animos ad pietatis virtutiſque amorem excitent; eos a voluptatibus ac vitiis avocent; a pravorum conſuetudine avertant; ac tandem praeceptis, & potiſſimum exemplis inſtituant. Id praeterea parentum curae eſſe debet, ut eos ad humanitatem informent, aut non ignobilibus magiſtris excolendos tradant: atque eos, prout fert conditio & propria ipſorum indoles, ad ingenuas artes aut ſcientias erudiant.

His quidem parentum officiis reſpondet liberorum obligatio, qua eos revereri, ipſis morem gerere, nihil majoris praeſertim momenti iis inconſultis aggredi, ipſorum juſſa, modo divinae aut humanae legi non adverſentur, promto animo exſequi obſtringuntur.

§. III.

De Societate Herili.

QUoniam ita comparati ſunt homines, ut quod ad vitae commoditates attinet, alii aliorum ope indigeant; hinc profecto factum eſt, ut quae Societas *herilis* appellatur, originem habuerit. Haec autem Societas per pactum conſtituitur, quod quis cum altero ea conditione init, ut is operam ſuam locet, ille vero mercedem, aut victum praeſtet, quaeque vitae neceſſitates exigunt. Qui operam ſuam alteri collocat, *Servus* vel *Serva*, cui vero operae collocantur *Herus* dicitur vel *Hera*.

Officia quae ex hac Societate naſcuntur, mutua ſunt dominum inter ac ſervum, quae ex vi locationis ſive conductionis proficiſcuntur. Quare dominus niſi locatas ſibi operas a ſervis exigere nequit: iiſque tenetur alimenta ſuppeditare, aut promiſſam mercedem ſolvere; eos humane accipere; ſi pactis conventis non ſteterint, mercede mulctare, aut dimittere. Contra vero ſervus dominum revereri, conductas operas praeſtare, ac domini utilitatem promovere obligatur.

Hanc, quam explicavimus ſervitutem, *mercenariam* appellare ſolent, ut eam ab *obnoxia* diſtinguant, cujus fundamentum eſt dominium in ipſos ſervos juſto titulo comparatum. Hujuſmodi autem dominium duabus de cauſſis a domino adquiri poteſt. Sunt enim, quos extrema paupertas ad eas incitas redigit, ut perpetuo alicujus ſervitio ſeſe ſponte addicant, dummodo

quae

quae ad vitae ſuſtentationem neceſſaria ſunt ipſis impertiantur. Quamplures vero juſto bello capti hanc miſeram conditionem ſubeunt.

In hujuſmodi ſervos talem poteſtatem dominus habet, ut quaſcunque operas, quibus praeſtandis pares ſunt, imponere; ipſorum filios ſibi vindicare; ipſos vendere, aut utcunque alienare poſſit.

Quae domini ſervis obnoxiis, quaeque ipſi ſuis dominis, officia debent, eo revocantur, ut illi ad eos alendos obligentur, etiamſi nullas ipſi operas praeſtare poſſint; hi vero quaſcunque operas praeſtare; atque utilitatem domini pro virili conſectari teneantur.

§. IV.

De Familiis.

Familiarum nomine appellantur Societates ex conjugali, paterna, atque herili coagmentatae. Hinc hujus ſocietatis ratione conjuges *patresfamilias*, & *matresfamilias*, liberi *filii* & *filiaefamilias*, ſervi vero & ancillae *ſervi ſervaeve familiares* nominantur.

In Familiis primas tenet paterfamilias, ita tamen, ut matrisfamilias opem & conſilium adhibeat. Ipſius poteſtas non eadem eſt in ſtatu civili, ac naturali. In hoc enim paterfamilias non modo univerſas familiae res adminiſtrat, verum etiam veluti principis jure fungitur. Hinc leges ferre, ſupplicia a ſontibus ſumere, foedera cum aliis ſancire, bellum gerere, pacemque cum hoſtibus facere poteſt. At in ſtatu civili ad ſolam familiae curam tanta patrisfamilias poteſtas revocatur.

§. V.

De Societate Civili.

IN ſtatuenda Civitatum origine non levis eſt inter magnos viros diſſenſio. Sunt enim qui civilium ſocietatum naturam ipſam effectricem eſſe arbitrantur. Primam ajunt conjugalem ſocietatem, quae naturali ſuadente amore coaluit, tam late ſenſim patuiſſe, ut in civilem tandem ſocietatem propagata fuerit. Nati quippe filii, quos natura ipſa parentibus commendat, iis adhaeſerunt; hinc ortae familiae, quae cum vitae ſocialis commoda ſentirent, inter ſe conjunctae perſtiterunt; hae autem paullatim auctae integras gentes conſtituerunt. Igitur origine Jus Regium non eſt niſi paterna Poteſtas: haec in primogenitos transfuſa conſentientibus aliis reges efficiebat. Horum imaginem in Orientali hiſtoria cernere diu datum eſt.

Contra aliis placet, homines rerum indigentia impulſos, vagae ac veluti ferinae, quam agebant, vitae conditione poſthabita, civiles ſocietates ſecum iniiſſe. Cum enim multa vagis deeſſent, multa obeſſent, quae, ſi conſociarentur, alter alteri commodare, & a quibus alter alterum liberare poſſet; adeo quidem, ut omnes ſingulis emolumento eſſent: hinc neceſſitas, utilitas, ac ratio ipſa in unam ſocietatem homines coëgit.

Nonnulli vero perditorum hominum vim civitatibus conſtituendis cauſſam dediſſe exiſtimant; improbi enim, quo reliquos ſibi ſubjicerent, cum aliis

aliis ejuſdem ingenii hominibus conjungi coeperunt. Horum igitur hominum metu, ſuique tuendi cauſſa omnino oportuit; ut alii patresfamilias viribus conjunctis ſub communi imperio certis legibus conſociarentur.

Praetermittenda non ſunt Malmesburienſis Senis de civitatum origine nefaria dogmata. Is quidem, cum propriam utilitatem juris naturae radicem eſſe definiat, in ſtatu naturali *omnia* eſſe *omnium* docet. Cum autem homines ejuſmodi a natura ingenium ſortiti ſint, ut jus, quod in omnia habere putant, ſibi vindicent, ut vero vindicent, ſeſe mutuo laceſſant; cumque propriis viribus ſinguli ſibi cavere & jure poſſint & neceſſario velint: propterea ſtatum naturalem mutui belli ſtatum eſſe pronuntiat. Mutua porro haec pernicies hominum conſervationi refragatur. Naturalis igitur ille noſtri amor, unde jus omnium in omnia, & bellum omnium in omnes proficiſcitur, nos admonet, ut huiuſce juris aliquid remittens de ſtatu naturali in Rempublicam pace interpoſita concedamus. Atque haec eſt docente Hobbeſio civitatum origo.

Jam porro Societates civiles, quecunque ſit illarum origo, ſunt coetus hominum, ſive familiarum, qui tacito vel expreſſo conſenſu certis legibus ſub communi imperio conſociati verſatur. Quare quaevis *hominum multitudo*, qui nullis legibus ſine communi imperio vivunt, *populum* ſive *civitatem* non conſtituit. Cum autem hoc imperium, cui omnes in civitatem coëuntes ſeſe ſubmittunt, vel uni, vel pluribus, vel univerſo populo adſcribi poſſit; tres propterea

Re-

Rerumpublicarum formae naſcuntur, *Monarchia*, ſcilicet, ſi penes unum, *Ariſtocratia*, ſi penes optimates, *Democratia* tandem, ſi penes populum fuerit ſumma poteſtas. Quae quidem diverſae regiminis formae ſecum componi poſſunt; atque hinc Reſpublicae, quas vocant *mixtas*, originem habent.

In his porro mixtis Rebuſp. ita ſumma poteſtas temperari ſolet, ut partim in Principe, partim vero in Senatu ſive populo verſetur. Aut enim vis *legislativa* Principi, vis vero *exſecutiva* Senatui tribuitur, quemadmodum obtinet in Gallia: aut in Senatu eſt vis *legislativa*, *exſecutiva* autem in Principe, ut in Anglia: aut tandem utraque poteſtas penes utrumque communi jure conſiſtit, ut in Svevia.

Quaelibet porro civilis ſocietas nemini mortalium ſubjecta quaecunque ſuo ſtatui conſervando conducunt libere peragere poteſt. Cum enim qui in ſocietatem conveniunt, antea in ſtatu naturali vixerint, Societates ipſae inter ſe eumdem naturae, ſive aequalitatis ſtatum ſervant. Quod quidem *ſummum imperium* appellatur, eoque potiuntur, qui Reip. poteſtatem habent. Hujuſmodi autem imperium omnia jura complectitur, ſine quibus Societatis ſtatus conſiſtere nequit; ea *Majeſtatis jura*, & vulgo *Regalia* dici conſueverunt.

Heic autem quaerunt Juris interpretes, num ſummum hoc Imperium, haec ſumma Poteſtas, hoc Regium jus, ſive penes unum ſit, ſive penes plures pro diverſa regiminis forma, a Deo proficiſcatur, an vero a populo originem habeat.

A Deo

A Deo ſaniores repetunt : ſuamque ſententiam pluribus ſuadent argumentis, ac potiſſimum 1. Quod jus vitae & necis ejuſmodi eſt, ut homines, qui nullum ſuae vitae dominium habent, homini impertire non poſſint; poſſit vero Deus. 2. Sacra eſt Regia Poteſtas, cui reſiſtere quacunque de cauſſa nemo debeat, Deo ipſo vindice; ergo & Deum iſthaec poteſtas habet auctorem. 3. Jus belli & pacis, quo longa internecione Gentes delentur, aut veluti ad vitam reſtituuntur, nulla Gens Genti, nullus Princeps Principi, nullus homo homini tribuere poteſt; unus autem Deus poteſt. Ergo.

Contra alii ſibi ſapere multo magis videntur, ſi a populo jus omne derivent. Ajunt enim, quod 1. Imperium non eſt niſi ſociale pactum, quo quiſque ſibi meliorem civilis prae naturali ſocietate conditionem comparavit. 2. Imperium Regi veluti quodam intercedente contractu a populo impertiri ipſa Regis inſtitutio arguit; in ea enim multa Rex populo, multa populus Regi pollicetur. 3. Conjunctio virium, induſtriarum, & opum una voluntate unoque conſilio inita, quo internae atque externae ſecuritati proſpiciatur, non fit, niſi ſingulis ejuſdem ſocietatis civibus volentibus, conſentientibus, & conſpirantibus. Atqui omnia ſummorum Imperantium jura ad interiorem atque exteriorem Reip. ſecuritatem ſpectant. Ergo ſumma rerum poteſtas a populo proficiſcitur.

Verum rectius ſummum Imperium & a Deo ut inſtitutore, & a populo ut ſibi conſulente repetendum eſſe videtur. Deus enim ipſe inſti-

tuit,

tuit, ut homines ſocietatem ineuntes, principe inſtituto, ſibi ſuiſque conſulerent, ratione ducente, appetitu ſtimulante, atque urgente neceſſitate. Neque aliquid officit pervulgata illa, quae opponi ſolet, ſententia, homines nimirum aequales inter ſe eſſe, nec niſi pacto coire, & obligari poſſe. Miram enim heic deprehendere cuique licet verborum implicationem. Aequales quidem ſunt homines, quatenus ejuſdem ſunt ſpeciei, Mente & corpore ſinguli praediti, eodem jure nati ad ea, quae ſibi labore atque induſtria compararint, quaeque a Deo acceperunt. At quod ad regimen ſpectat, quam longe inaequales! Vehementer equidem ſecum diſcrepant atque diſcordant homines, ſive *phyſicam*, ſive *moralem*, ſive tandem *politicam* eorumdem conditionem inſpicias. Nam 1. inaequales ſunt in hominibus corporis vires: inaequales igitur ſingulorum labores, inaequales induſtriae. Quis enim infirmos a ſanis, imbecillos a fortibus, mutilos ab integris nihil diſtare dixerit? 2. Inaequales ſunt Mentis a corporis nexu pendentes vires; hinc mira illa hominum diſſimilitudo, ut alii acre, hebes vero alii ſortiti ſint ingenium, alii ſupini ſint atque ignavi, alii vero induſtrii ac ſagaces. 3. Inaequalia ab ortu jura, inaequalis inopia, atque indigentia. Nemo quidem filium patri, adoleſcentem, juvenem, aut mulierem viro contulerit. 4. Adde demum diſpares eſſe ſingulorum affectus, cupiditates, atque appetitus; adeo quidem ut alii frenis, alii calcaribus egeant. Quod vero ad pactum attinet, illud quidem ab inaequalibus hominibus initur, ſed ratione ſuadente,

ne-

neceſſitate probante, Deo ipſo veluti obſignante. Nemo enim eſt, quin reciproco auxilio ea ultro impertiatur, quae ſuppetunt, ea vero accipiat, quae deſunt ad vitae incolumitatem & commoditates.

Jam vero quod ad Majeſtatis jura pertinet, ea quidem alia *immanentia*, alia *tranſeuntia* nominantur. Illa interiorem Reip. tranquillitatem ac ſalutem, haec vero exteriorem reſpiciunt.

I. Inter immanentia jura 1. primum locum obtinet leges ferendi, ac judicandi poteſtas. Interna enim civium ſecuritas in eo poſita eſt, ut cives a popularibus non laedantur, tum vero ut cuique civium ſuum tribuatur. Civiles autem leges, ut quae ad Reip. decus atque utilitatem ordinari debent, praecepta ſunt civibus propoſita, quibus externae quaedam actiones jubentur, aut vetantur, prout nimirum Reip. bono conducunt, aut officiunt. Iis porro poenae ſanctio adjicitur; quippe ea publicae ſecuritati conſulitur; peccantes enim corriguntur; aliique poenarum metu a peccando avocantur. Jus igitur poenas infligendi ad immanentia ſpectat.

2. Vectigalia ac tributa imperandi jus. Vix enim Reip. ſalus obtinetur, niſi ſinguli cives collata veluti ſymbola ipſius Reip. onera ferant. Unde quidem proficiſcitur, ut ſi ſumma neceſſitas urgeat, civium bonis uti poſſit Princeps; quod ſane *dominium eminens* appellari ſolet.

3. Jus conſtituendi miniſtros & magiſtratus; quibus id muneris impoſitum eſt, ut Reip. partem ſibi concreditam diligenter adminiſtrent.

4. Jus in commercia, ſine quibus Reſp. vigere

ge. nequit. Hinc ſummi Imperantes leges fei re de importandis exportandiſque mercibus, mercatoribus proſpicere, ceteraque id genus agere poſſunt.

5. Tandem *Protectionis* Sacra. Ad publicam enim tranquillitatem [illegible]tinet, ut ſummi Imperantes Eccleſiam ejuſque jura tueantur, ut caveant, ne illius canones impune violentur, aut novi obtrudantur, qui neque religioni ſunt neceſſarii, neque civium indoli accommodantur.

II. Tranſeuntia jura ſunt Jus belli. Cum enim inter Reſpublicas [illegible] ſtatus vigeat, id quidem juris iis eſt, ut [illegible]am a ſe propulſent, & quae jure perfecto [illegible]entur, vi extorqueant. Bellum autem, definiente Cornelio Bynkershoëk, *eſt eorum, qui ſuae poteſtatis ſunt, juris ſui perſequendi ergo, concertatio per vim vel dolum*. Binae igitur ſunt cauſſae belli juſtae; vel cum populus alterum populum injuſte laedit, vel cum jus perfectum denegat.

2. Jus foedera pangendi, quae nimirum ad utriuſque Reipublicae utilitatem pertineant.

3. Jus legatos mittendi, quorum ſcilicet opera foedera ſanciantur.

Atque haec ſunt imperantium jura, quibus civium officia reſpondent. Iis enim id praeſtandum eſt, ut ſummos Imperantes amore ac obſequio proſequantur, eorum legibus promto animo obtemperent, conſtanter ipſis adhaereant, nec novis rebus ſtudeant, pro ipſorum tandem incolumitate preces ad Deum effundant.

FINIS II. TOMI.

MAG2862